NUMER. Cap. XXVI. v. 51. 62.
Castra Iſraelis ad Iordanem.

IV. Buch Moſis Cap. XXVI. v. 51. 62.
Iſraels Lager am Jordan.

I. G. Pintz sculps.

NUMER. Cap. XXXV. v. 4. 5.
Suburbia Levitarum.

IV. Buch Mosis Cap. XXXV. v. 4. 5.
Vorstatte der Leviten.

I. G. Pinz sculp.



NUMER. Cap. XXXV. v. 4. 5.
Suburbia Levitarum.

IV. Buch Mosis Cap. XXXV. v. 4. 5.
Vorstätte der Leviten.

M. Tyroff sculp.

TAB. CCCXXI. CCCXXII.

Num. Cap. XXXV. verſ. 4. 5.

4. Suburbani vero Agri quæ Leuitis dabitis juxta oppida (porrigentur) à muro oppidi extra mille Cubitis circunquaque.

5. Dimetiemini autem foris extra oppidum orientale latus bis mille Cubitos, & latus Meridionale bis mille cubitos, & latus occidentale bis mille Cubitos, Oppidum verò ipſum ſit in medio. Hi erunt ſuburbani agri ipſis ad oppida.

4. Quæ à muris ciuitatum forinſecus, per circuitum, mille paſſuum ſpacio tendentur.

5. Contra Orientem duo millia erunt cubiti, & contra Meridiem ſimiliter erunt duo millia: ad mare quoque, quod reſpicit ad Occidentem, eadem menſura erit, & ſeptentrionalis plaga æquali termino finietur: erunt urbes in medio, & foris ſuburbana.

ESt vel hic Textus documento euidenti, fuiſſe omnia, quæ quidem DEUS mandauit, in populo ſuo ordinatiſſima. Teſtimonium aliud extat Deut. XXIII. 12. *Locus tibi ſit extra Caſtra, ad quem foras egrediaris, Lignumque præacutum in baltheo, cum quo foris ſedens fodias, conuerſusque operias excrementum tuum. (Habebis locum extra Caſtra, ad quem egrediaris ad requiſita naturæ. Gerens paxillum in baltheo; cumque ſederis, fodies per circuitum, & egeſta humo operies, quo reuelatus es.)* Aſſignatas legimus Leuitis certas numero Urbes, ſed Legibus & ſanitatis & munditiei non conueniebat, ut intra muros Urbis eſſent & Domicilia Sacerdotum, & caſæ ſtabulaque pro Pecoribus, & Horrea & Fimeta. Dictat & ſana Ratio Architectis, ſeparanda hæc eſſe ab inuicem, & quæ vel Ignem facile concipiunt, ſiue incendia fouent, vel naribus odore ſunt aduerſa, vel ſanitati noxia, locanda eſſe foris. Ita cauebant & Leges ciuiles, ne in vias publicas ſtercora projiciantur, & morticina & pelles: ne intra mœnia Porci, Anates, aliaue Animalia ſordida alantur. *L. 1. §. 5. ff. de via public. & ſi quid in ea fact. Stryck. de Jure ſenſ.* D. 5. c. 2. n. 32.

Debebant hæc ſuburbia, eorumque limites, quod in Textu legimus, ex mandato DEI exactè emenſurari. Sed de modo, & vero Scripturæ ſenſu non eadem eſt omnium ſeu ſententia, ſeu opinio. Crucem figit, quod v. 4. mentio fiat 1000. Cubitorum, v. 5. 2000. Prætendit *Bonfrerius* ad h. l. irrepſiſſe mendum in Codicem, & legi debere etiam v. 4. 2000, ubi ſanè & LXX. habent διχιλίες πήχεις. Sic facile ſolui poſſet nodus, vel ſecari. Sed linquimus nos LXX. viris ſuam Verſionem, dudum orthodoxis Scripturæ Interpretibus ſuſpectam, ſicut & aliis, quam ſibi ſumunt, Libertatem mutandi quid in ipſo Textu, tutiores ituri, ſi ſtante Hebraico Textu poſſimus extricare difficultates, & conciliare ἐναντιοφανέα. Sed quoque differunt ab inuicem, qui hac nobiscum incedunt viâ. Rem ita explicat *Lutherus*, oppidi e. g. quadrati latus CB. fuiſſe Cubitorum 2000. Suburbia verò extra oppidum protenſa ad 1000. Cubitos. Fig. I. Quærunt *Junius* & *Tremellius* 2000. Cubitos ita, ut 1000. ſint in ſuburbiis ab una parte, e. g. verſus Ortum, 1000. ab altera verſus occaſum. *Maſius* (Fig. II.) etiam habet 1000. Cubitos pro ſuburbio, quæritque 2000. verſus omnes 4. plagas parallelè cum oppido ipſo. *Paulus Burgenſis* & *Clericus* (Fig. III.) 1000. numerant Cubitos ex Oppidi Centro A. ad peripheriam, & 2000. pro latere Quadrati ambientis oppidum. *Druſius Locis difficil. ad Num.* c. 137. tribuit 1000. cubitos Areæ ſuburbiali in longum latumue, cujus extremum latus fuerit 500. tota proin Quadrati peripheria 2000. cubitorum (Fig. IV.) Neque Judæi, quibus in hujusmodi controuerſiis decidendis aliqua videtur competere prærogatiua, inter ſe ſunt concordes. Sunt (Fig. V.) qui 1000. Cubitos rectà protendunt extra oppidum pro ſuburbio, & extra ſuburbia 2000. pro Pratis, Agris, vineis. Suburbium ipſum, omnibus ſtructuris vacuum deſtinant Paſcuis toti oppido communibus, deambulationibus, Piſcium receptaculis. His conſentiunt *Oſiander*, *Reyher Math. Moſ.* p. 577. hac quidem differentia, quòd ille 1000. deſtinet Horreis, ſtabulis, 2000. verò pratis & paſcuis. Aliis 1000. cubitos menſurantibus pro ſuburbio, & rurſum 1000. alios pro agris

& vineis, ad quarum extremos limites numerandi forent inde ab oppido 2000. Cubiti, æquales Itineri Sabbathico. Collimant huc *Philo de Sacerd. honorib.* p. 645. & *Josephus Ant.* L. IV. c. 4. (Fig. VI.) atque ex modernis *Lundius Leuit. Prieſterth.* L. IV. c. 29. p. 868. Et ſanè palma videtur tribuenda binis his poſtremis opinionibus, & priores 1000. Cubiti deſtinandi paſcuo communi, poſteriores 1000. verò ſeu exteriores Hortis, vineis, Agris, qui Leuitis fuerant proprii. Ita Salomo Rex alloquitur Abiatharem. I. Reg. II. 26. *Vade in Anathoth ad agros tuos.* Ibidem, in Anathoth, habitabat Sacerdos *Hanameel*, qui proprium ſibi *agrum vendidit* Jeremiæ Sacerdoti atque Prophetæ, Jer. XXXII. 7. Qui diſtinctum magis de ſpatiis Leuitarum ſuburbanis formare cupit conceptum, is reducet 1000. Cubitos ex Hypotheſi aſſumta hactenus ad 1779. $\frac{14}{134}$. pedes Tigurinos, 2000. proin ad 3558. $\frac{28}{134}$. quibus reſpondent 551. Hexapodæ Gallicæ 5. pedes.

SUPPLEMENTA IN NUM.

Num. Cap. III. verſ. 46. 47. 50.

46. Pro redimendis vero ducentis & ſeptuaginta tribus, qui ex primo genere inter filios Iſrael Leuitas excedunt.

47. Accipies quinos Siclos ad ſingula capita, Siclum ſcilicet Sanctuarii accipies. Habet autem Siclus viginti Gera.

50. A primogenitis filiorum Iſrael accepit pecuniam iſtam, nempe mille trecentos & ſexaginta quinque Siclos, juxta Siclum Sanctuarii.

46. In precio autem ducentorum ſeptuaginta trium, qui excedunt numerum Leuitarum de primogenitis filiorum Iſrael.

47. Accipies quinque Siclos per ſingula capita, ad menſuram Sanctuarii. Siclus habet viginti obolos.

50. Pro primogenitis filiorum Iſrael, mille trecentorum ſexaginta quinque Siclorum, juxta pondus Sanctuarii.

Vid. Num. III. 39. 43.

Num. Cap. XVIII. verſ. 16.

Redemptiones vero ejus (ſic ſint) redimes quum ſunt unius Menſis, juxta æſtimationem Argenti, nempe quinque Siclis juxta Siclum Sanctuarii, qui habet viginti Gera.

Cujus redemtio erit poſt unum menſem, Siclis argenti quinque, pondere Sanctuarii. Siclus viginti obolos habet.

Vid. Exod. XXX. 13.

Num. Cap. XX. verſ. 5.

Cur effeciſtis, ut aſcenderemus nos ex Ægypto, ut introduceretis nos in locum iſtum malum, ubi nec ſe-

Quare nos feciſtis aſcendere de Ægypto, & adduxiſtis in locum iſtum peſſimum, qui ſeri non poteſt, men

men eſt, nec Ficus, nec Vites, nec Mala Punica, nec Aqua etiam, quam bibamus.

qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, inſuper & aquam non habet ad bibendum?

Vid. Exod. XXVIII. 33.

Num. Cap. XX. verſ. 8-11.

8. Tolle baculum, & congrega cœtum, tu & Aharon frater tuus, & loquimini ad Petram, ipſis cernentibus, quæ dabit Aquas ſuas, educesque illis Aquam è Petra, ut potum des cœtui, & jumentis eorum.

8. Tolle virgam, & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad Petram coram eis, & illa dabit aquas: cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo, & jumenta ejus.

9. Tulit itaque Moſes baculum ante DOMINUM, ut ille juſſerat.

9. Tulit igitur Moyſes virgam, quæ erat in conſpectu Domini, ſicut præceperat ei.

10. Et congregauerunt Moſes atque Aharon cœtum ante Petram, & dixit eis: Audite quæſo vos rebelles; Num de Petra iſta educemus vobis Aquas?

10. Congregata multitudine ante Petram: dixitque eis: audite rebelles & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere?

11. Leuataque manu ſua Moſes percuſſit petram baculo ſuo bis, & profluxerunt Aquæ multæ, bibitque cœtus, & jumenta eorum.

11. Cumque eleuaſſet Moyſes manum, percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita ut populus biberet, & jumenta.

Vid. Exod. XVII. 1-6.

Num. Cap. XXV. verſ. 8. 9.

8. — Et cohibita eſt clades à filiis Iſrael.

8. — Ceſſauitque plaga à filiis Iſrael.

9. Perierunt autem in clade iſta viginti quatuor millia.

9. Et occiſi ſunt viginti quatuor millia hominum.

Vid. Num. XI. 33. XVI. 48.

Num. Cap. XXXI. verſ. 52.

Uniuerſi autem Auri, quod Thruma DOMINO ſeparārunt à Tribunis & Centurionibus ſedecim mille, ſeptingenti & quinquaginta Sicli.

Pondo ſedecim millia, ſeptingentos quinquaginta ſiclos, à tribunis & centurionibus.

SUrgit inſigne hoc Donarium, quod Chiliarchæ & Hecatontarchæ ex prælio cum Midianitis habito reduces DOMINO ſponte offerebant, ad 7780. uncias, drachmas 4. ſcrupula 2. grana 35. ſiclo computato 3. drachmis, 2. ſcrupulis, 8, 90. granis.

TAB. CCCXXIII.

Deut. Cap. I. verſ. 44.

Egreſſusque Amorræus, qui habitabat in monte illo, obuiam vobis, perſequutus eſt vos, quemadmodum Apes facere ſolent, & percuſſit vos in Seir usque Horma.

Itaque egreſſus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, & obuiam veniens perſecutus eſt vos, ſicut ſolent apes perſequi, & cecidit de Seir usque Horma.

Χὼ μὲν παλιμπόρευτον ἴξεται τρίβον,
Σφῆκας δαφοινὰς χηράμων ἀνεχεύσας,
Ὁποῖα κῆρος δῶμα κινήσας καπνῷ.

Et hic quidem retrogradâ incedet viâ,
Veſpas cruentas ex cauernis extrahens,
Ut cum puer fumo alueare ſuffiit.

EST *Apum* Respublica ordinatiſſima, actiones omnes regulariſſimæ, ſupremæ Rationis indices & effectus. Colligunt ſeſe contra turbatores, & hoſtes irruentes perſequuntur armatâ non manu, ſed ano. Huc alludere videntur omnino verba noſtri Textus; ita, ut apes, *Iſraelitas* perſequuti fuere *Amorrhæi*, victoriam proſecuti à *Seir usque ad Horma.* Aliter Syra verſio: *vos perſequuti ſunt ſicut Apes fumigatæ*, nempe contra eos, qui mortem earum intentant. Legit namque Syrus pro תַּעֲשֶׂינָה *facerent*, תְּעַשַּׁנָּה *fumigantur.* Notum quippe, Fumo Apes interfici, utpote vitæ & Reſpirationi horum Animalculorum inimico. Virgil. Georg. v. 230.

—— fumosque manu prætende ſequaces.

Ouid. Remed. Amor. v. 185.

Quid, cum ſuppoſitos fugiunt examina fumos,
Ut releuent dempti vimina curua faui?

Plinius. L. XI. c. 16. *Cum eximuntur mella, apes abigi fumo utiliſſimum, ne iraſcantur, aut ipſæ auidè vorent. Fumo crebriore etiam ignauia eorum excitatur ad Opera.* Id vocant Græci βλίσαι & ἐναύειν. Ab hac Apum fumigatione non duntaxat heic Moſes, ſi Syriacæ, Chaldaicæ & Arabicæ Verſionibus fides, mutuatus eſt loquendi formulam, ſed quoque Scriptores profani. *Lycophron* de Paride v. 180. raptâ Helenâ Trojam reduce Græcos excitaturo, ut Apes fumo irritari ſolent:

Transeo alias hujus generis comparationes, quas videre eſt apud *Apollonium L. II. Argon. Virgil. Æneid.* L. XII. *Quinto Smyrnæo* L. III. v. 127. Si *Apollonii* Philoſophemati fides, fugiunt Apes fumum, διὰ τὸ ϛενόπωρον εἶναι αὐτῶν τὴν ὄσφρησιν, propter anguſtiam organi odoratus, vel, propter anguſtationem dicti organi. Nec malè. Notum, eſſe Fumum omnibus Animantibus, inprimis Inſectis, nociuum, unde & Crabrones fumo fugari ſolent, & pelli ſuis nidis. Loco Aeris puri hauriunt fumoſum, vitæ & Reſpirationi inidoneum, tum quia rarus nimis, tum quia acribus ſalinis particulis imprægnatus Tracheas per totum Corpus expanſas ad ſpaſticas contractiones diſponit, quæ vita mox tenella corpuſcula priuant, nî fugâ ſibi conſulant.

Apis, quia Politicum eſt Animalculum, Regem habens, populos, urbes, prætoria, militiam, ordinem Regiminis, ab ipſo hoc & mirabili ordine דְּבוֹרָה *debora* Hebræis dicitur à דָּבַר quod non ſolùm loqui ſignificat, ſed & ducere, ordinare, regere. Conſpirant Chaldæorum דבורא *dabbara*, Arabum *dabron* pro Examine Apum: Turcarum modernorum *debr. Meninzk. Lexic.* p. 2022. v. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 10. p. 507.

DEUT. Cap. 1. v. 44.
Israelitæ ut Apes fumigatæ.

V. Buch Mosis Cap. 1. v. 44.
Die Israeliten wie Bienen gejaget.

M. Tyroff sculp.



DEUT. Cap. III. v. 11.
Lectus Ogi ferreus.

V. Buch Moſis Cap. III. v. 11.
Ogs eiſernes Bethe.

I. B. Probst sculps.

TAB. CCCXXIV.

Deut. Cap. III. verſ. 11.

Solus enim Og Rex Baſan remanſerat ex reliquiis Rephaim, & en lectus ejus erat lectus ferreus, qui adhuc viſitur in Rabbath filiorum Ammon, nouem cubitos habet longitudo ejus, & quatuor Cubitos latitudo ejus juxta Cubitum virilem.

Solus quippe Og, rex Baſan, reſtiterat de ſtirpe gigantum. Monſtratur lectus ejus ferreus, qui eſt in Rabbath filiorum Ammon, nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis, ad menſuram cubiti virilis manus.

NOn eſt leui ſolatio Lectus ferreus in Regionibus Orientalibus; in Ligneis ſtructuris Cimices, Scorpiones, aliaque Inſecta Hominibus infeſta nidulantur, quæ in ferreis exulant. Haud proin ſubeat nos admiratio, ſi in ferreo Lecto decubuit Rex Baſanis *Og*: ſed fortè ferreus ille Gigas, ut alius fuit ab Homunculis ſuis ſubditis, ſeſe ab aliis diſtinguere voluit quoad viuendi modum. Hanc rem dijudicandam aliis linquo. Mei fori eſt magnitudo Regis, de qua quidem níl certi determinari poteſt, quia dimenſio quidem Lecti eſt expreſſa in Textu, non viri ipſius. Quum contrà *Goliathi* illius ſit expreſſa, I. Sam. XVII. 4. *ſex cubitorum & palmi.* Statura Ogi ſi fuiſſet 6. vel 7. pedum, ſuffeciſſet ei Lectus 9. vel 10. pedum, vel & pro Regia magnificentia 12. aut 14. ut & hodie Nobilis Proſapiæ Viri, non ultra 5. pedes alti, in lectis decumbunt duplo ſe longioribus. Hac Hypotheſi nixi facilè dabimus Giganti noſtro 6. ad 7. cubitos. Fuiſſe *Rephaim* & *Enakim*, è quorum progenie reliquus erat *Og*, extraordinariæ ſtaturæ, teſtis eſt ipſe Sacer Codex. Sed & apud profanos Scriptores offendas Gigantes, 8. 10. 12. pedum. In *Bactriana* Prouincia Arenâ ſepultos inuenias octo pedales Mumias apud *Chardin Voyage de Perſe*. T. IX. 163. Ex Hypotheſi hactenus de Cubiti menſura recepta Lectus Ogi 9. Cubitorum habebit in

menſuris Pariſinis			Tigurinis		
′	″	‴	′	″	‴
14.	10.	$9\frac{3}{5}$.	16.	0.	2.
Latitudo 4. Cubitorum					
6.	7.	$5\frac{1}{5}$.	7.	1.	2.

Quodſi ipſius Gigantis perſonæ demus 6. Cubitos, erit ejus altitudo

′	″	‴	′	″	‴
9.	11.	$2\frac{3}{5}$.	10.	6.	8.

Aſt non torquent parum Interpretes verba Textus, *juxta Cubitum virilem.* Prætendit *Onkelos*, intelligi debere per virum ipſum Ogum, cubitosque ad hujus menſuram eſſe ſumendos, quæ Hypotheſis daret Ogum Ogo, quem hactenus menſurauimus, longe majorem. *Cumberlandio de menſ. & ponder. Script.* p. 38. è contra ne quidem admittente cubitum ordinarium Geometricum, ſed minorem, viro communis ſtaturæ adæquatum. Medio forſan ibimus tutiſſimi, ſi manebimus in Cubito recepto hactenus partium Pariſinarum 2384. Nec vana eſt *Chardini* conjectura & Ogum Regem, & alios *Rephaim* & *Enakim* conſtruxiſſe, ut ſibi aliisque viderentur majores, Lectos majores, quam quidem popoſciſſet Corporis proportio. Hac ſanè arte uſus *Alexander* ex Indiis Redux, teſte *Diodoro Siculo* L. XVII. πεοσέταξε τοῖς μὲν πεζοῖς &c. *Pedites etiam juſſit, ut in Tabernaculo quisque ſua cubilia quinum cubitorum extrueret.* —— *Hæc autem facturus erat, cùm ut heroicam expeditionem feciſſe videretur, tum etiam, ut incolis relinqueret veſtigia magnorum virorum, & quæ inuſitatum robur corporum fuiſſe indicarent.* Ita & *Curtius* L. IX. c. 3. *juſſit erigi 12. aras ex quadrato ſaxo, Monumentum expeditionis ſuæ, munimentaque caſtrorum juſſit extendi, cubilia quoque amplioris formæ, quàm pro Corporum habitu relinqui, ut ſpeciem omnium augeret, poſteritati fallax miraculum præparans.* Clariſſ. *Chriſtian. Wolffius. Math. uniuerſ.* T. II. æſtimat altitudinem Gigantis noſtri $13\frac{1296}{4480}$. Ped. Pariſin.

TAB. CCCXXV.

Deut. Cap. III. verſ. 27.

Aſcende in verticem (a) collis & ſublatis oculis tuis ad (b) Mare, ad Septentrionem, ad Meridiem, & ad Orientem, circumſpice oculis tuis, quia non trajicies Jordanem iſtum.

(a) Quidam Pisga montis nomen putant, alii collem interpretantur.
(b) Mare pro Occidente ponunt Hebræi.

Aſcende cacumen Phasgæ, & oculos tuos circumfer ad Occidentem, & ad Aquilonem, Auſtrumque & Orientem, & aſpice: nec enim transibis Jordanem iſtum.

SUnt *Plagæ* numero infinitæ, quia per ſingula Horizontis puncta transire poſſunt Plana, proin & *Venti* infiniti, qui ex omnibus his punctis ſpirare poſſunt. Reducere tamen ad certum numerum & Plagas & Ventos docuit uſus, coegit neceſſitas. Et, ne nimium accreſceret numerus, ad 32. usque aſcendunt Nautæ. Recenſere ſingulos & ſingulas præter rem foret: ſufficiant ita dictæ *Cardinales*, quarum puncta oſtendit ipſa Natura, ſtellarum nempe quotidiana circumuolutio; Ortum Siderum aſcenſus ſupra Horizontem, Occaſionem deſcenſus, inprimis Solis: Meridiem culminatio, Septentrionem plaga oppoſita. Veteres Philoſophi ac Medici, quod ex *Ariſtotele* & *Theophraſto* conſtat, duas habuere palmarias Plagas, τὰ βόρεια καὶ τὰ νότια. Quibus addidere alii τὰ ἑσπέρια καὶ τὰ ἑῶα. Prælucet in recepta adhuc Plagarum diuiſione ipſe Sacer Textus, quatuor enumerans Cardinales. Exhibet easdem Acus Magnetica, imo quilibet Arboris Truncus horizontaliter ſectus.

TAB. CCCXXVI.

Deut. Cap. IV. verſ. 18.

Formam cujuscunque reptantis ſuper Terram, formam cujuscunque Piſcis, qui eſt in Aquis ſub Terra.

Atque reptilium, quæ mouentur in terra, ſiue piſcium, qui ſub terra morantur in aquis.

HEic, dum prohibetur Idololatria omnis, id inprimis inquiri meretur, quid intelligi debeat per *Piſces in Aquis ſub Terra*, quum conſtet, degere hoc Animantium genus ſub & in Aquis, & non ſub Terra. An fortè Piſces ὀρυκτοὶ, qui non tam, ut ſomniant quidam, in Petrarum cryptis viuunt absque Aere & Aqua, quàm vero in Hydrophylaciis ὑπογαίοις, de quorum exiſtentia nemo dubitat? an Piſces illi lapidei foſſiles, cadauera veriùs Piſcium, ex fatali illa Diluuiali Inundatione reſidua, quorum *Querelas & Vindicias* publico exhibui? Facile quippe εἰδωλομανία Gentilium eò dementiæ aſſurgere poterat, ut Piſces hos, & viuos & mortuos, ὀρυκτὰς, vel propter inſignem raritatem deificaret; ut ſanè Exemplum dat *Jupiter* ille *Hammon*, cui cornua affinxerant Africani, ſimilia prorſus Conchyliis illis, ſeu cochleis, quæ *Cornuum Ammonis* nomine tum in Conchyliothecis, tum in Muſeis Diluuianis paſſim proſtant, imo Lapidis, qui dubio procul Joui illi Cornua dedit, *ad cujus* (Jouis Hammonis) *Templum Lapis fuit lectus. Solino* teſte *Polybiſt.* c. 27. Quæ Cornua transiere à Joue ad ejus filios; hoc nempe nomine ſuperbientes videmus *Lyſimachum*, & *Alexandrum*, cornutos in Numis. Utut ſpecie haud careat hæc interpretatio, pollicem premo nihilominus Commentatoribus illis, qui heic intelligunt

DEUT. Cap. III. v. 27.
Moses circumſpiciens plagas.

V. Buch Moſis Cap. III. v. 27.
Moſe beſiehet das gelobte Land.

G. D. Heuman sculps.

DEUT. Cap. IV. v. 19.
Ασεολατρεία.

V. Buch Mosis Cap. IV. v. 19.
Abgöttischer Gestirn-Dienst.

I. G. Pinz sculp.

DEUT. Cap. IV. v. 19.
Ηλιολατρεια.

V. Buch Mosis Cap. IV. v. 19.
Abgöttischer Sonnen-Dienst.

I.G. Pinz sculp.

gunt omne Piſcium, aliorumque Animantium in Aquis degentium genus, proin & Piſcium illorum ὀρυκτῶν, quæ *ſub Terra*, id eſt, infimo Terræ Horizonte, ſæpe etiam in Hydrophylaciis ante memoratis viuunt, aliisue littoralibus antris, quibus gaudere nouimus Carpiones, Anguillas.

Fig. A. exhibet *Iouis Ammonis* Græci ſimulacrum κριοπρόσωπον ex *Achille Statio Ill. Viror.* n. 47.

Fig. B. Marmor aliud, unius fortè ex *Ptolemæis*, & quidem Cyrenarum Regibus, cum conjuge jugatum caput. Ex *Spanhem. Præſt. Numism.* Diſſ. V. p. 363.

Fig. C. *Mytilænorum* Lesbi incolarum eſt Numus, in cujus una parte Iouis Ammonis Caput, in auerſa concordiæ & communionis cum Pergæis Symbolum. Id. p. 350.

Fig. D. *Alexandri* M. caput ſpolio tectum, Elephanti Proboſcide ornatum, & cornu, ut volunt arietino, ſi id non à Lapide ſupra memorato, ut Iouis ipſius Hammonis, eſt petitum. In auerſa Pallas dextrâ Jaculum, ſiniſtra ſcutum, ad latus Caſſis & Aquila; in memoriam victoriæ de Poro. *Beger Theſ.* p. 241.

Fig. E. *Lyſimachi* Caput Diadematum & cornutum, in altera Minerua armata cum victoriola in manu, infra Delphinus Tridenti implicitus. *Goltz. Num. Græc.* Tab. XXXVI. 8. 9. Qui Numus eò huc pertinet magis, quia ex duplici Regno ὑπογαίων Teſtaceorum atque Piſcium ſeu ſimulacra ſeu Idola mutuo petit.

TAB. CCCXXVII. CCCXXVIII.

Deut. Cap. IV. verſ. 19.

Et ne forte attollas oculos tuos in cœlos, & viſis Sole, Luna, Stellis, cum uniuerſo Exercitu Cœlorum, proſternaris, & adores colasque ea, quæ diſtribuit DOMINUS DEUS tuus omnibus populis ſub uniuerſo Cœlo.

Ne forte eleuatis oculis ad Cœlum, videas Solem & Lunam, & omnia aſtra cœli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creauit DOMINUS DEUS tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cœlo ſunt.

EST Homo, ſi penitius eum introſpiciamus, Creatura nobiliſſima equidem, ſed & miſerrima: Menti ſuæ claræ obuerſantur ideæ de DEO, Ente infinite perfecto, inuiſibili, incomprehenſibili, indiuiſibili; attamen eas Ideas, quas ſenſibilia ſuggerunt objecta, vel potius excitant, in ſuperioribus collocat ſubſelliis. Et attendi meretur, eos inprimis tam Orientis quam Occidentis Populos Heliolatriæ & Aſtrolatriæ fuiſſe inde ab antiquiſſimis temporibus deditos, qui vel Zonam ipſam inhabitant Torridam, vel ad eam appropinquant. Et tam altas egit radices hæc Idolomania, ut nec dum hodie ſit eradicata. Ἠλλαξαν τὴν δόξαν τῦ ἀφθάρτε ΘΕΟΥ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτῦ ἀνθρώπε, καὶ πετεινῶν, καὶ τετραπόδων, καὶ ἑρπετῶν, addo, ἡλίε, Σελήνης, καὶ Ἄστρων. Rom. I. 23. Permagna ſit oportet, imo maxima, Naturæ Humanæ corruptio, ſiquidem ab abſurdis hujusmodi ἀποθεώσεσι auocari debuerit, & Præceptis ſeueriſſimis, Populus ille DEI, qui tot in Ægypto, & Deſerto, oculis ſuis vidit Miracula, non σημεῖα duntaxat ſed ἀναμφιβήτητα Potentiæ diuinæ τεκμήρια; atque de Optimi Maximi DEI Eſſentia atque Proprietatibus per immediatas Reuelationes, & ipſius ſupremi Numinis Legatos ſufficientiſſimè fuit inſtructus: ut omnino mirari liceat, quomodo & hi, & hoc DEI peculium, μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τῦ ΘΕΟΥ ἐν τῷ ψεύδει, καὶ ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα. Rom. I. 25.

Tantò autem erat magis hoc contra πολυθεότητα Præceptum & ſalutare, & neceſſarium, quia Ægyptus, ſi quæ Natio, fuit ſuperſtitioni deditiſſima, ut inde, veluti ex Equo Trojano, aut Pandoræ Pyxide, Idololatriam penè omnem ad Græcos, aliasque Gentes transmigraſſe judicent viri doctiſſimi; neque dubium ſit, Iſraelitas ſemina morbi hujus contagioſi ſecum ex Ægypto portaſſe in Deſertum. Potiſſimùm autem inter innumeros alios Deunculos coluere Ægyptii *Solem* & *Lunam*, illum *Oſiridis*, hanc *Iſidis* titulo: *Solem* ut *Iouis oculum, qui regali poteſtate ſublimis cuncta deſpiciat*, apud *Macrobium:* ut *omnis generis conſeruatorem & educatorem, qui Mundi intelligibilis inſtar ſenſibilem Mundum amplectatur, ipſumque variis formis & formarum omnium ideis amplificans expleat;* apud *Trismegiſtum.* Longi moliminis foret Labor, ſi hanc peſtis Ægyptiacæ transmigrationem ad Græcos, imò Indos & Afros,

vellem deſcribere, vel etiam ex Voluminibus aliis deſcribere. Satis habebit Lector ex nonnullis, quæ infra ſiſtentur, diuerſarum Gentium, etiam remotiſſimarum, inprimis Ἡλιολατρῶν, ſimulacris.

Eſt utique *Sol*, ut μεταφράζων Moſem κατὰ πόδα ſequar, ſubſtantia una ex nobiliſſimis, ſed materialis, proin non ſui productrix, dependens in ſuo eſſe, & operari ab alia immateriali, inuiſibili, infinitè perfecta, digniſſima admiratione, ſed non adoratione. Non ſanè ſplendidum hoc Sidus creauit ſe ipſum, quod & ex Gentilibus ſaniores agnouerant, *Fecit DEUS luminare majus, quod dominaretur interdiu.* Gen. I. 16. *(Fecit Deus luminare majus, ut præeſſet diei.)* Locatus in Centro Vorticis magni, ut Monarchæ ad inſtar regeret vaſtiſſimi Planetarum Imperii habenas, hosque & eorum incolas calore, Luce, Motu, vita bearet: quam ſedem certè non ſibi elegit ipſe, nullius Rationis capax, ſed DEUS *Soli tentorium poſuit.* Pſal. XIX. 5. è quo *velut ſponſus ex umbraculo ſuo prodit, lætus velut heros quispiam ad decurrendam viam. Ab extremo cœlorum egreſſus ejus, recurſus ejus usque ad extrema eorum, nec eſt qui ſe ab æſtu illius abſcondat.* v. 6. 7. *(Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit ut Gigas ad currendam viam. A ſummo cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus usque ad ſummum ejus, nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.)* Hæc omnia non ex proprio conſilio, ſed ſapientiſſima Creatoris ordinatione. DOMINUS *dedit Solem in lucem diurnam, Lunæ ſtellarumque ordines in lucem nocturnam.* Jer. XXXI. 35. Idem eſt hic παντοκράτωρ, qui promiſit, *non amotas iri leges iſtas à conſpectu ſuo.* v. 36. ut proin haud ſit dubium phraſin illam, *lætus velut heros quispiam ad decurrendam viam*, intelligi debere ſenſu metaphorico. *Sol nouit ſuum occaſum* Pſal. CIV. 19. ut Horologium artificioſum quoddam nouit exhibetque ſuum artificem.

Lunæ par eſt ratio, licet inferior conditio, quum ſit ſatelles Terræ, nedum Princeps. De hac ita rurſum Moſes. DEUS fecit *Luminare minus, quod dominaretur noctu.* Gen. I. 16. *(Deus fecit Luminare minus, ut præeſſet nocti.)* Non ſanè hic ſibi regularem hunc Motum dedit, quo Hebdomadas metiri ſolemus & Menſes, *Lunam* DEUS *fecit, ut ſuo tempore exiſtat indicium temporum, & ſignum æui. Luna dies feſtos deſignat, luce decreſcente, donec deficiat. Menſis nomen ipſius accipit, & creſcens mutationibus eſt mirabilis.* Sirac. XLIII. 6. 7. *(Et luna in omnibus in tempore ſuo, oſtenſio temporis, & ſignum æui. A luna ſignum diei feſti, luminare quod minuitur in conſummatione. Menſis ſecundum nomen ejus eſt creſcens mirabiliter in conſummatione.)*

Idem eſto judicium de *Stellis*, intellige Fixis, quæ totidem ſunt Soles, quod de Sole ipſo. *Stellas reſucentes in ſtationibus ſuis hilares ſi vocet* DEUS, *Adſumus, ajunt, ſuoque Creatori fulgent cum lætitia.* Baruch. III. 34. *(Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt: vocatæ ſunt, & dixerunt: Adſumus & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.)* Illarum numerus adeò eſt innumerus, ut nullus Aſtronomorum modernorum, & ne ex Lynceis quidem, illum determinare præſumat. Solus DEUS *ſtellas in numerato habet, ac uniuerſas vocat nominibus.* Pſal. CXLVII. 4. *(Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocans:) Attollite in ſublime oculos veſtros, & contemplamini, quis creauerit iſta, producens in numero exercitum eorum, ſingula ſuis nominibus vocans, à multitudine virtum, & robore virtutis, ut ne unum quidem deeſſet.* Jeſ. XL. 26. Hæc ipſa Creationis ac ordinatiſſimæ diſpoſitionis Gloria dat Creatori jus & dominium in *ſtellas & omnem Exercitum cœlorum* abſolutum. Deut. IV. 19. Ipſe *ſtellas velut appoſito ſigillo claudit.* Job. IX. 7. Unde & Stellæ cluent DEI *ſtellæ*, Jeſ. XIV. 13.

Omnis Exercitus cœlorum nomine, quem in Textu noſtro memorat Sacer Scriptor, percommodè intelligimus Planeticum Syſtema integrum, ſi non Mundi uniuerſi διακόσμησιν. Eſt ſane Planeticorum corporum, tum primariorum, tum ſecundariorum, motus regulariſſimus, præciſa cujusque Naturæ & neceſſitati adæquata à Fonte Solari diſtantia, Magnitudo, alia, incitamento nobis, non ut adoremus illa, ſed eum, qui illa creauit. *Equidem ſuſpiciam cœlos tuos, opus digitorum tuorum, Lunam & Stellas, quas tu præparaſti.* Pſal. VIII. 4. *Magnus eſt* DOMINUS *noſter, & ingentis Potentiæ, cujus intelligentia innumerabilis eſt.* Pſal. CXLVII. 5. *(Magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus; & ſapientiæ ejus non eſt numerus.)*

Hæc omnia, infit porrò Moſes, *diſtribuit* DOMINUS DEUS *tuus omnibus Populis ſub uniuerſo Cœlo.* Non Soli debebant viuere Judæi in Palæſtina, ſed tot aliæ Nationes, omnes omnium Terrarum Homines indigebant pro vita ſua & motu, Luce & Calore, Stellis & Luna Luminaribus nocturnis, ſole diurno. Debebat hîc eſſe Prot-Eleemoſynarius & piis & impiis, juſtis & injuſtis. Sed eſt ipſa hæc *diſtributio* Sapientiæ atque Bonitatis Diuinæ Criterium certiſſimum: quæ ne fine ſuo excideret, Solis vel Terræ motum deduxit non per Æquatorem, ſed per Eclipticam, qua de re alibi plura. Non omnibus Populis comparent omnes Firmamenti Stellæ, ſed nobis Zonæ Temperatæ Septentrionalis incolis certæ Stellæ oriuntur & occidunt, aliæ occidunt nunquam, omni Nocte conſpicuæ, dum aliæ nos ſemper latent, ſemper conſpicuæ Zonæ Meridionalis Temperatæ inhabitatoribus. Attentionem porrò ſingularem meretur *diſtributio* Luminis Lunaris: plena tunc nobis eſt, ſi ejus Lumine opus habemus quàm maximè, Noua, dum minimè. Nouam offerret DEI virtutes

DEUT. Cap. VIII. v. 4.
Caligæ sive Calcei Veterum.

V. Buch Mosis Cap. VIII. v. 4.
Schühe der Alten.

H. Sperling sculps.

deprædicandi materiam diſtributio Luminis Solaris in Terram, omnesque Planetas, talis nempe quali indigebant ſinguli. Sed hæc nunc indicaſſe ſufficiat.

Fig. A. Tab. 327. exhibet Numen Solare *Japonenſibus Amida* & *Fombum* dictum, flori Roſæ, Nymphææ, vel Loti inſidens: de quo plura *Kircher Oedip. Ægypt.* P. I. p. 406.

Fig. B. *Rhodiorum* eſt Numus Solem ex una parte oſtentans, ex altera florem ſeu Roſæ, unde nomen habere dicitur, ſeu Balauſtii. Spanhem. Præſt. Numism. p. 277.

Fig. C. Tab. 328. Fanum *Horcholiuos* Americani Numinis ἀνθρωποθυσία celebre, de quo ita *Kircherus*. Lib. cit. p. 421. *Modus ſacrificandi erat ille, qui ſequitur: Hominem, qui ſe ſponte offert immolandum per omnia Urbis compita, viasque ſummâ feſtiuitate, & in Triumphi ſpeciem, circumducunt: peracta hac ſolennitate, Idolo, quod eſt ad angulum Turris, occidendus ſiſtitur, renouatisque Hymnis Choreisque ſacrificulus lapideâ quadam nouaculâ immolandi pectus decuſſatim aperit, extractoque corde calido adhuc, & ſanguinis feruore bulliente, eo os Idoli primùm inungit poſtmodum parte profluentis Sanguinis verſus Solem, aut noctu verſus Lunam projecta, reliquorum Idolorum ora, coronidem quoque Portæ Fani inungit, ac demum cor combuſtum in cinerem redigit, puluerem reliquiarum loco tenentes, quod & de cineribus totius corporis ſimiliter faciunt.*

Fig. D. Numus *Quadrati* Præſidis Syriæ, in cujus parte antica caput turritum Antiochiæ Urbis; in poſtica Aries & Stella intra Lunam bicornem, Antiochiæ Symbola. Percuſſus A. 808. V. C. *Noris Epoch. Syro Maced. Diſſ.* III. p. m. 182.

Fig. E. Numus Mithridatis diadematum: à poſtica Ceruus, Luna, Sol & Stellæ in corona ex variis floribus & foliis compoſita. *Beger. Theſ. Palat.* p. 152.

TAB. CCCXXIX.

Deut. Cap. VIII. verſ. 4.

Veſtimentum tuum ſuper te vetuſtate non eſt detritum, nec pes tuus intumuit hisce quadraginta annis.

Veſtimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus, en quadrageſimus annus eſt.

PArallela en bina alia Loca. Deut. XXIX. 5. *Ego quidem duxi vos quadraginta annis per deſertum, nec ſunt vetuſtate attrita veſtimenta veſtra ſuper vos, nec calceamentum tuum vetuſtate conſumptum eſt in pede tuo.* Nehem. IX. 21. *Aluiſti eos in deſerto quadraginta annos, ut nihil eis deeſſet; veſtimenta eorum non ſunt vetuſtate detrita, nec intumuerunt pedes eorum. (Quadraginta annis pauiſti eos in deſerto, nihilque eis defuit: veſtimenta eorum non inueterauerunt, & pedes eorum non ſunt attriti.)* Hanc in rem offendimus ſententiarum diuortia, eas propriis interpolabo cogitatis. Recutiti Doctores, R. *Bechai*, *Kimchi*, *Jalkut*, pro more ſuo amplificantes omnia, & multiplicantes, aſpiciunt Phænomenon hocce ut ex maximis miraculis unum. En quid dicant! Angeli ipſi, Populi hujus ſartores, confecere Iſraelitis veſtimenta ſericea, & variis coloribus intertexta; delicatulis ſcilicet magis, quàm ipſi fuere Protoplaſtæ, quibus DEUS ipſe *fecit tunicas pelliceas.* Gen. III. 21. Ne quis autem exiſtimet, deeſſe ſententiæ rationes, producunt illi adlocutionem ipſius DEI ad ingratum Populum. Ezech. XVI. 10. *Indui te acupictis, calceaui te melino (pelle) amiciui te byſſo, obtexi te ſerico ſubtiliſſimo. Ornaui te ornamento. Armillas poſui ſuper manus tuas, & torquem ad collum tuum. Et appendi monile ſuper faciem tuam, globulos in aures tuas, & coronam decoris ſuper caput tuum. Et ornata es Auro & Argento, veſtimentum tuum byſſinum, ſericum & acupictum. (Et veſtiui te diſcoloribus & calceaui te hyacintho, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus. Et ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro & argento, & veſtita es byſſo, & polymito, & multis coloribus.)* Fuerint proin Angeli non ex ſola Sartorum, ſed quoque ex Aurifabrorum Tribu. Id quod Sacer Codex deprædicat ut ſingulare Dei donum, Rabbinis eſt Angelicarum manuum, ſi quas habent, productum. Dolendum, nihil de hac Angelorum fabrica ſupereſſe, ut ex reliquiis Synagogas ornare potuiſſent Judæi. Audite plura: Nunquam fuere Iſraelitarum veſtes detritæ, quum contra denſiſſimæ aliàs texturæ quæque & ſolidiſſima ipſa Metalla uſu atterantur & conſumantur: Miraculum en, quod conſeruat à deſtructione infinitè, ut cum modernis Phyſicis

loquar, parua corpuſcula, quæ contra conſuetum Naturæ curſum aut non fuere attritione abſumta, aut quouis momento, eâ præcisè figura, magnitudine, numero, quibus abiere, reſtaurata. Neque hic eſt Miraculi terminus: Creuere veſtimenta cum ipſis Hominibus. Quæ tenellorum corpori fuerunt coæquata, idem quod Homines ipſi cepere accrementum, ut tandem à conſiſtentis ætatis viris geſtari potuerint. Nouum igitur en miraculi genus, omni Naturâ & Arte ſuperius! Obſeruamus equidem & in Natura, creſcere teſtam eadem proportione cum ipſa cochlea, ut non aliud adulta Cochlea habeat tegumentum, quàm quod in ipſo habuit Utero. Sed non quadrat Exemplum hocce Iſraelitarum Veſtibus. Teſtarum eadem eſt, quæ Cutis noſtræ, ratio; Veſtimentorum, quæ arte parantur, longè alia. Addunt illi, veſtes Majorum haud opus habuiſſe loturâ. En cur? ipſa, quæ Caſtris ſupra ſtabat, Nubis columna, puras conſeruauit illas & albas, ut ex Amiantho confectum Linum purgatur Igni. Et per Traditionem prætendit inſuper immunda hodie Judæorum Natio, ut munditiem ſuorum Patrum extollat, neque Pediculos, neque alia Inſecta habitaſſe in horum veſtibus. Ita degener prorſus facta Natio: quos hodie vel eminus odoramus, caruere olim ſudore fœtido, licet per 40. annorum decurſum haud exuerint veſtes: fuit hic, ut ſomniant, aromaticus potius, à Plantis nempe balſamicis illis, quæ ſuccreuere ad Flumen illud ſiue Torrentem ex dura Petra profluum. Et ne quis de hoc Miraculo dubitet, allegant Cant. IV. 11. *Odor veſtimentorum tuorum excellit omnibus aromatibus — eſt qualis fragrantia Libani.* Quamuis per ſalebroſa arenoſaque Deſerti loca iter fecerint Iſraelitæ, non tamen egerunt fiſſuras calcei, neque fuere detriti imò verò creuere juxta ipſorum Pedum proportionem. En igitur miraculorum circa ſolas Iſraelitarum veſtes cumulum!

Patribus Latinis & Græcis placet quoque literalis Textus noſtri interpretatio, *Tertullianus de Trinit.* ſiue libri hujus Author *Nouatianus: Tertullianus* item de *Reſurrect.* c. 58. Hiſtoriam hanc noſtram in parallelo collocat cum intemerata conſeruatione veſtium, calceorum, quibus induti erant ſocii Danielis in voraciſſimis mediis Fornacis Babylonici flammis viui conſeruati; & eſt hoc illudue Phænomenon ipſi Symbolum futuræ in altera vita Perfectionis. Miraculum quoque prætendunt *Juſtinus Martyr Dial. cum Tryph. Theodoret. Quæſt. VI. in Deuteron. Chryſoſtom. Hom. IX. in Philipp. Ambroſius L. II. de fide ad Gratian. c. 1. Hieronymus ad Pammach. adv. errores Joh. Hieroſolymitani. Auguſtinus de Geneſ. ad Lit. L. IX. c. 3. de bono Conjugio c. 2. de Peccat. merit. & remiſs. L. I. c. 3.* Et approximant ſeſe aliqui horum, ſpeciatim *Juſtinus* Rabbinis, ſtatuentes, creuiſſe veſtes unà cum ipſis Corporibus. Quamuis nulla eos ad hoc coëgerit neceſſitas. Sufficit quippe Veſtium in ſua magnitudine absque detrimento conſeruatio; & potuere adulti veſtibus illis hæreditario jure uti, quibus uſi fuere alii ejusdem & ſtaturæ & ætatis demortui, minoribus reſeruatis pro junioribus. Conſtat namque ex Hiſtoria Profectionis Iſraelitarum per deſertum, Iſraelitas omnes Ægypto egreſſos abiiſſe ad plures, in ipſo Deſerto, exceptis Calebo & Joſua, numero interea temporis, 40. nempe annorum ſpatio haud augmentato. Patribus ſupra citatis ſubſcribunt perplures ex recentioribus Commentatoribus, *Bonfrere, à Lapide, Joh. Gerhardi, Joh. Adam Oſiander, Grotius, Joh. à Marck*, &c. hoc inter alia nixi argumento, quod hæc Veſtium conſeruatio in parallelismo locetur cum Manna, & Aquæ ex Rupe profluuio, quæ absque omni dubio Miraculis accenſeri debeant.

Tertii generis Commentatores, *Hermannus von der Hardt, Ger. Noodt, Clericus*, nolunt equidem pro iis haberi, qui Miraculorum in Ægypto & deſerto patratorum fidem dubiam reddant; attamen rationes prægnantes habent, cur de hoc Veſtium & Calceorum Miraculo dubitent, cujus utpote maximi haud dubiè in Hiſtoria præcedanea Itineris meminiſſet Moſes; patrati non in uno duntaxat Homine, ſed omnibus & ſingulis Iſraelitis; non ſemel duntaxat, vel aliquoties, ſed quotidie per 40. Annorum decurſum, imo ſingulis horis atque minutis, ſiquidem ad Literam intelligendus foret Textus, veſtium & calceorum mentionem faciens, peracto jam Itinere, ἕ ὡς ἐν παρόδῳ. Non fieri, inquiunt hi, facilè Miracula, niſi in caſu neceſſitatis, qui heic exulat. Notum quippe, Iſraelitas Ægypto exportaſſe varium ſuppellectilis genus, numeroſos aluiſſe in Deſerto greges; mactatorum Animalium pelles potuiſſe inſeruire ipſi veſtimentorum & calceorum uſui: non defuiſſe, qui veſtes conficerent, quandoquidem artificioſiora longè fabricauerint ad uſum Tabernaculi: liberum denique fuiſſe cum Iſmaelitis & Arabibus commercium. Eam proin eſſe mentem & Moſis & Nehemiæ, proſpexiſſe DEUM populo ſuo ut de victu, ita & de amictu: neque ad eam inopiam redactos fuiſſe Iſraelitas, ut laceris inceſſerint veſtibus, atque nudipedes, verbo, *nihil eis defuiſſe*, uti ſe exprimit Nehemias: affluxiſſe rerum copiam, ac ſi in populoſis degiſſent urbibus: calceatis benè non intumuiſſe pedes: notum enim, calloſos reddi & tumidos pedes iis, qui vel γυμνόποδες, vel laceris induti calceis per loca arenoſa atque ſaxea Iter faciunt.

Ultima hæc ſeu ſententia ſeu opinio licet enodando Textui mihi quidem videatur ſufficiens, liberum tamen linquo Lectoribus ſeligere quamcunque velint ex prioribus; quam libertatem ſibi eripi patietur nemo. Videantur *Joh. à Marck Diſp. Theol. de non detritis Iſraelis veſtibus & calceis in Deſerto ad Deut.* XXIX. 5.

Reſp.

DEUT. Cap. VIII. v. 7.
Abundantia Palæstinæ campestris.

V. Buch Mosis Cap. VIII. v. 7.
Wasser und Felder des gelobten Landes.

Catharina Sperlingen sculps.

DEUT. Cap. VIII. v. 8.
Palæstina Hortensis et melliflua.

V. Buch Mosis Cap. VIII. v. 8.
Baum- und Honig-reiches Land.

I.G. Pinz sculp.

DEUT. Cap. VIII. v. 8. 9.
Palmæ et metalla Palæstinæ.

V. Buch Mosis Cap. VIII. v 8. 9.
Palm- und Metall-reiches Land.

I. G. Pinz sculp.

Reſp. Joh. von Rouveroy Lugd. Bat. ap. Abr. Elzevier 1692. 4. *Herm. von der Hardt Ephemerid. Philolog. Diſc.* XII. p. 151 — 160. *Bynæus de Calceis Hebræor.* p. 380. ubi cum aliis à miraculo deſiſtit, ad ſingularem DEI curam & prouidentiam rem referens: & in parallelo locum hunc de Calceis non detritis locans. Jeſ. XLVIII. 21. ubi Propheta dicit, *non ſitiiſſe* Iſraelitas, *cum ipſos per deſertum duceret*, id eſt, abundè ſuppeditaſſe DEUM, unde ſitim potuerint explere. Nam ſitiiſſe conſtat ex Hiſtoria profectionis, Calceos quoque habuiſſe, vel habere potuiſſe ex Ægyptiorum, Ammonitarum & Moabitarum ſpoliis.

Ut conſtet Lectori, qualibus nam Calceis & cujus formæ uſi fuerint Veteres, in Ornamentis ſiſto *ex Bynæo de Calceis Hebræorum*

Fig. 1. Caligam ex Columna marmorea Trajano Imperatori erecta: de qua *Julius Nigronus Diſſ. de Caliga.*

Fig. 2. Caligam cum & ſine clauis ex Columna eadem & Arcu Conſtantini: ubi notanda fila ſiue corrigiæ, quas שְׂרוֹךְ Hebræi vocabant, LXX. σφιγοτῆρας, Gen. XIV. 23. ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων, Marc. I. 7.

Fig. 3. Caligam cum corrigiis ex ſtatua togata, quæ viſitur in Atrio Palatii Veneti.

Fig. 4. Caligam aliam in ſtatua M. Aurelii palliata in eodem Atrio.

Fig. 5. Campagum ex opere reticulato, cujus figuram dedit *Andr. Friſius* ad *Balduin. de Calc.*

Fig. 6. Tzangam ex eodem.

Fig. 7. Soleam Dircis Romæ in Ædibus Farneſiorum.

Fig. 8. Soleam Apollinis Pythii Romæ in Hortis Vaticanis.

Fig. 9. Soleam exhibet cum corrigiis ſolutam.

Fig. 10. Milites Romanos caligatos in Numo Hadriani.

Fig. 11. In Numo Commodi.

TAB. CCCXXX. CCCXXXI. CCCXXXII.

Deut. Cap. VIII. verſ. 7. 8. 9.

7. Quoniam DOMINUS DEUS tuus introducet te in Terram bonam, in qua ſunt Torrentes Aquarum, fontes & Abyſſi erumpentes ex Vallibus & Montibus.
8. Terram, in qua eſt Triticum & Hordeum, Vineæ, Ficus, & Mala Punica, Terram in qua eſt oleum olearum & Mel.
9. Terram, in qua absque penuria panem comedes, nec quoquam egebis in ea: Terram, cujus Lapides Ferrum, & de cujus montibus Chalybem effodies.

7. Dominus enim Deus tuus introducet in terram bonam, terram riuorum aquarumque, & fontium: in cujus campis & montibus erumpunt fluuiorum abyſſi.
8. Terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus & malogranata & oliueta naſcuntur: terram olei ac mellis.
9. Ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris; cujus Lapides ferrum ſunt, & de montibus ejus æris metalla fodiuntur.

DE Fontibus viuis, imo *Torrentibus Aquarum* viuarum, qualenam & quantum ſint DEI Ter Optimi beneficium, nos inprimis teſtari poſſumus Heluetii, tanti Theſauri ampli poſſeſſores; ſed quoque earum Regionum incolæ, quibus hi Fontes deſunt, nec aliæ conceſſæ ſunt Aquæ, quàm vel Pluuialis, ut Belgæ, vel Fluuialis, ut inferioris Ægypti incolæ, ubi & degebant per aliquot Secula Iſraelitæ, ſolâ Niloticâ Aquâ, quæ ſæpe putreſcit, contenti. Magni inprimis æſtimandum hoc Aquæ viuæ beneficium in Climatibus illis calidioribus Aſiaticis, quale eſt & Palæſtinæ, ut dubio procul Iſraelitis in Arabiæ Deſerto calore & ſiti ſqualentibus ſaliuam mouerint hi à DEO promiſſi *Torrentes Aquarum, fontes & Abyſſi erumpentes ex Vallibus & Montibus.* Ubi per תְּהֹמֹת *Abyſſos* commodè intelligimus Hydrophylacia ſubterranea, ex quibus Fontes, Riui, & integra Flumina promanant. Quæ ipſa certe non ſunt caſus cujusdam fortuiti productum, ſed DEI Maximi beneficium, qui dirigit *riuos Aquarum, quocunque vult.* Prov. XXI. 1.

Verùm enim verò præſtantiores erunt aliis illæ Regiones, quæ non perluuntur duntaxat

Torrentibus Aquarum, ſed quoque abundant omnis generis, iisque delitioſiſſimis Fructibus; ubi Agri conſiti ſunt Frumento pingui, vineæ vitibus, Prata Arboribus. Ita ex fertilioribus *Heluetiæ Vallibus* eſt *Tellina*, & *Valleſia*. In *Palæſtina* noſtra eſt v. 8. *Triticum & Hordeum, Vineæ, Ficus, & Mala Punica, Oleum olearum, & Mel. (Terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus & malogranata & oliueta naſcuntur: terram olei ac mellis.)*

Tritico, חִטָּה abundat adeò pingue Terræ Chananææ ſolum, ut κατ' ἐξοχὴν vocetur *Terra Tritici* v. 9. Dabat Salomon Hiramo quotannis *viginti mille Coros Tritici in cibum pro domo ejus, & viginti Coros olei contuſi.* 1. Reg. V. 11. *(Salomon autem præbebat Hiram viginti millia Coros tritici in cibum domui ejus, & viginti coros puriſſimi olei: hæc tribuebat Salomon Hiram per ſingulos annos.)* Et totidem promittit putatoribus & Lignicidis Tyriis 2. Par. II. 10. Et audi, quid in ſola Regis Aula fuerit conſumtum! *Fuit cibus Solomonis pro die uno, triginta Cori ſimilaginis, & ſexaginta Cori farinæ.* 1. Reg. IV. 22.

Hordei שְׂעוֹרָה, quod etiam ad frumentacea pertinet, nec cibum duntaxat Homini ſubminiſtrat, ſed & Potum, prima mentio in Sacris fit Exod. IX. 31. qui Locus videatur.

De Terræ Sacræ *Vitibus* dabitur paſſim loquendi occaſſio: ut & de *Ficubus*, quarum copia abundauit in ſpecie Genneſaritis, teſte *Joſepho Bell. Jud.* L. III. c. 35. Euagarer nimium, ſi ad laudes deſcenderem fructus ex ξυλίνοις utiliſſimi, ſufficiat pro nunc Elogium, quod extat in *Athenæi Dipnoſoph.* L. III. p. 78.

Εἰ τις καθείρξε χρυσὸν ἐνδόμοις πολὺν
Καὶ σῦκα βαιὰ κ' δύ' ἢ τρεῖς ἀνθρώπες,
Γνοίη χ' ὅσῳ τὰ σῦκα τᾶ χρυσᾶ κρέστω.

In ædibus Auri multum ſi quis concluſerit,
Et paucas Ficus, duosque vel tres Homines,
Quanto Ficus Auro ſint præſtantiores intelliget.

Punicum malum, ſiue *Malogranatum, Rimmon*, cujus mentio quoque fit inter ornamenta veſtium ſummi Sacerdotis, Exod. XXVIII. 33. 34. quodue octo nobilibus Terræ ſanctæ Urbibus nomina dedit, fructus eſt Arboris, cujus flos eſt, *Tournefortio* definiente roſaceus, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtans, cujus calix campanæ ſimilis, multifidus, abiens in fructum fere globoſum, coronatum, in plura loculamenta diuiſum, acinis ſucci plenis fœta, placentæ affixis, membranis tenuiſſimis diſtinctis, & ſemine turgentibus ut plurimum oblongo. Quos characteres videre licet ad marginem Tabulæ. Arbor ipſa A. ramis tenuibus anguloſis brachiata, & ſpinis aliquot rigidis armata corticem habet rubeſcentem: folia Myrti æmula, non ita acuta, ex viridi in leuem quandam rubedinem vergentia, odore graui.

Oleis fuit Canaanitis fertiliſſima, quæ heic cum ἐμφάσει cluet אֶרֶץ־זַיִת שֶׁמֶן *Terra oliuæ olei*, ferax oleæ oleoſæ, i. e. olearum fertiliſſimarum. *Oleæ erunt tibi per cunctos fines tuos.* Deut. XXVIII. 40. Ut hodie abundant oleis Italia, Hiſpania, Gallia. Et colligi poteſt prouentus Olei in Judæa ex eo, quod Solomon Rex Hiramo dederit vicies mille bathos olei, 2. Paral. II. 10.

Sequitur *Mel*, דְּבַשׁ, idque non tam *Apum*, quam Vegetabilium productum. Generali quippe ſignificatu, quod R. Selomo obſeruat in Leuit. II. 11. notat Hebræa vox omnem dulcedinem fructus, ut ſanè ex fructibus bene multis coctione & inſpiſſatione haberi poteſt melliformis, & conſiſtentiâ & ſapore, ſuccus. Sed ſpecialiori *debas* notat *Dactylos Palmæ* fructus, ut heic, ex ipſa doctiſſimorum Rabbinorum, *Kimchii* & *Selomonis* interpretatione. Conſentiunt Arabes: *Dubous Alcamo* ſunt dactyli ſelectiores, qui in butyrum liquefactum conjiciuntur, ut in eo colliqueſcant. Et *dibs, dibis*, mel dactyli, mel palmæ. Notabilis extat locus apud *Joſephum Bell. Jud.* L. V. c. 3. ubi de Valle Hierichuntina, & creſcentibus ibi Palmis: τέτων δὲ πιότεροι πατέμενοι, κ' μέλι δαψιλὲς ἀνίασιν, ἐ πολλῷ τᾶ λοιπᾶ χεῖρον. *Harum pinguiſſimæ calceatæ plurimùm mellis emittunt, non multò deterius alio Melle.* Hoc ſenſu Mel ſumunt Leuit. II. 11. 12. 2. Chron. XXXI. 5. Loca alia. Sed quoque ſubintelligi poteſt *Mel Apum*, in proprio nempe ſuo & ſtrictiſſimo ſignificatu, quum notum ſit, abundaſſe Apibus tum domeſticis, tum ſylueſtribus Terram Sanctam. v. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 12. *Hiller Hierophyt.* L. I. p. 124.

Præſtantem vidimus Terram Aquis viuis irriguam, præſtantiorem fructibus præcellentibus abundantem, nobiliſſimam dixeris, ſi inſuper Theſauri adſint ſubterranei, & tales, qui Hominum uſui magis ſunt quàm *Aurum* & *Argentum* neceſſarii, *Ferri* nempe & *Æris*. De *Ferro* Scriptor Sacer hyperbolicè, *Lapides* in Terra illa eſſe *Ferrum;* tantam Ferri ſuppetere copiam, quæ conferri queat cum Lapidibus in ſtratis publicis & Agris. Notum hodie in *Georgia*, *Mingrelia*, *Perſia* abundare paſſim Ferri venas, ejusque optimi, ſed quoque in *Palæſtina* montoſa Arabiæ contermina, teſte *Agricola de Metall.* p. 413. Et legimus apud *Ariſteam ad Philocratem*, in montibus illis Arabiæ vicinis effoſſum olim fuiſſe Ferrum & Æs, prouentum autem hunc neglexiſſe Perſas, illorum locorum potitos. Ἐλέγετο δὲ ἐκ τῶν παρακειμένων ὀρέων τῆς Ἀραβίας μέταλλα χαλκᾶ κ' σιδηρᾶ συνίσασθαι πρότερον. Ἐκλέλειπται καθ' ὃν ἐπεκράτησαν χρόνον Πέρσαι. τῶν τότε προσατόντων ποιησαμένων διαβολὴν, ὡς ἄχρηστος ἡ κατεργασία γίνεται, κ' πολυδάπανος. Et ſunt hæc fortè φανήσια illa μέταλλα, quorum memi-

nit

DEUT. Cap. VIII. v. 15.
Serpentum et Scorpionum Terra ἄνυδρος.

V. Buch Mosis Cap. VIII. v. 15.
Schlangen- und Scorpionen-Wüste.

I. G. Pinz sculp.

nit *Epiphanius L. II. adv. hæret.* p. 719. ad quorum fodinas damnati olim ſcelerati. Locus extat illuſtris apud *Athanaſium Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes*, p. 658. ἐξίωσαν εἰς μέταλλον ἀποχαλκῆναι, καὶ μέταλλον ἐχ' ἁπλῶς, ἀλλ' εἰς τὸ τῆς Φαινὼ ὄνθα, καὶ Φονεὺς καταδικαζόμενος ὀλίγας ἡμέρας μέγις δύνατ ζῆσαι. *In metalli fodinam eum mitti curauerunt, nec in Metalli fodinam ſolum, ſed illam ſpeciatim, quæ Phæno nuncupatur, in qua homicida damnatus nonniſi ad paucos dies ſupereſſe poteſt.* Fuit autem Φαινὼ, *Phæno*, olim Urbs Idumæa, poſtea vicus in ſolitudine inter urbem Petram & Zoaram, teſte *Euſebio* ad vocem Φινὼν, quæ exiſtimatur eſſe פּוּנֹן *Phunon*, Numer. XXXIII. 42. 43. v. *Reland Palæſtin.* p. 951. Plura ad hanc rem alibi. Poſſunt & ad Literam per *Lapides Ferri* intelligi venæ ipſæ Ferri, in Lapidibus & Saxis reperiri ſolitæ, Lapidibus plerunque ſimiles, Lapidibus ſæpe commixtæ. Foſſoribus quoque Germanis nota ut generale venis benè multis nomen *Stein Handſtein*, pro venâ præcellenti, diuiti, ita ſpeciale venæ Ferri *Eiſenſtein*. Attamen tum ex hodierna Terræ ſanctæ indole, tum ex ipſa S. S. conſtare videtur, habuiſſe equidem incolas Ferri & Æris ſatis pro communi uſu, ſed non eâ copiâ, quæ extra limites in alias Terras in commercium venire potuerit. *Juda & Terra Iſraelis fuerunt mercatores tui* (Tyri) *Tritico Minith, Balſamo, Melle, Oleo & Reſina, quæ dederunt ad negotiationem tuam*, Ezech. XXVII. 17. licet & de *Dan & Jauan* legatur v. 19. *convexiſſe in Emporium* Tyri *Ferrum factum.*

Tab. CCCXXXII. videre licet *Palmam dactyliferam majorem vulgarem Jonſton. Dendr.* Ill. Sloane Cat. Jam. p. 174. Nat. Hiſt. of Jamaica Vol. II. p. 111. Palm. Treès of the Jews Land of Hubert p. 36. Palmier portant les Dattes. Pomet Hiſt. des Drog. p. 213. Palma major. Palma dactylifera Caſtell. Hort. Meſſan. p. 18. Dattes de Maire p. 84. Palmiers des Feynes p. 26. 77. 141. Palma dactylifera Indica Munt. Phyt. Cur. p. 47. Fig. 244. Palma dactylifera. Palmeira Grisley viridar. p. 50. yaycu Palma, quæ Dactylos & Tameras producit, Boym. Relat. de la Chine p. 17.

TAB. CCCXXXIII.

Deut. Cap. VIII. verſ. 15.

Qui dux tuus fuit in deſerto magno & horribili, (in quo fuerunt) ſerpentes urentes, ſcorpiones, & ſiccitas absque ulla Aqua —

Et ductor tuus fuit in ſolitudine magna atque terribili, in qua erat ſerpens flatu adurens, & ſcorpio ac dipſas, & nullæ omnino aquæ —

DE נָחָשׁ שָׂרָף *Serpente urente*, egimus ad Num. XXI. 9.

Sequitur עַקְרָב *akrab*, *Scorpio*, *Scorpius*, Animal, vi vocis, μακρόκεντρον, magnum habens aculeum, quaſi רב עקץ *akats rab*, à quo & Græci mutuati videntur ſuum σκορπίος, cum προσθέσει τὸ σῖγμα. רב *rab* autem *magnum* ſonat, & עָקַץ *akats pungere*. Seruarunt hanc vocem Arabes. In *Meninzkii Lexico* legas pro Scorpione *ækreb.* p. 3256. 3291. Plur. *ækarib. ukruban.* p. 3297. Scorpio mas, animal longipes aliâ quàm Scorpionis caudâ præditum. Deſcriptio Animalis hujus extat in *Swammerdam Hiſt. Inſect.* p. 144. Contracta partim, partim ampliata, hæc eſt. Caput Thoraci quaſi continuo nexu adnatum. In medio Thorace, ſeu potius capite, adſunt bini oculi, & in excurſu ad anteriora denuo utrinque bini, ſub quibus erumpunt binæ chelæ ſeu forficulæ. Thoraci ſunt adnati octo pedes, unde & ὀκτώπες κατ' ἐξοχὴν cluet *Heſychio*, & Prouerbium, ὀκτώποδα ἀνεγείρειν, *Scorpium excitare*. Pedes hi pilis hinc inde ſunt obſiti. Ad extremum Thoracem verſus anteriora prominet par Chelarum majus, quatuor articulis diſtinctum. Venter in ſeptem annulos diſpeſcitur, quorum extremus excipitur à cauda, quæ veluti ex ſex vel tribus globulis articulatur, pilis obſita. Horum Globulorum ultimus armatur aculeo. Eſt cauda, & in cauda Aculeus hic formidabilis illa pars, de qua jure dixeris, quod de Pauone *Chryſippus*, τὸ ζῶον γεγονέναι ἕνεκα τῆς κέρκε, *animal propter caudam fuiſſe creatum.* Hinc Locuſtæ illæ vaſtatrices myſticæ Apoc. IX. 10. dicuntur habuiſſe ἀρὰς ὁμοίας σκορπίοις, καὶ κέντρα ἐν ταῖς ἀραῖς αὐτῶν, *caudas Scorpionibus ſimiles, & aculeos in caudis ſuis.* Hic Aculeus eſt ſimplex; Scorpiones δικέντρες memorat *Ælianus Hiſt.* L. VI. c. 20. & L. XVI. c. 40. Hunc aculeum tenui fiſtula perforatum, quâ venenum effundat, tradit *Plinius* L. XI. c. 37. quem ſecuti *Tertullianus*, *Hieronymus*, *Baſilius in Hexaem. Hom.* 9. ubi aculeum huncce dicit excauaſſe artificem ὥσπερ αὐλὸν, *in fiſtulæ modum*. *Ælianus* L. IX. c. 4. fiſtulam hanc vocat κολπόδη διπλόην, ſinuoſam duplicitatem. Omnia appoſitè.

Præaugurabantur, oculis nudis uſi, quod hodie vix optima Microſcopia detegunt. Fatentur ingenue hunc oculorum defectum, & tamen rem ipſam ſtatuunt *Scholia in Nicandrum.* Παντὸς δὲ σκορπίε τὸ κέντρον τετρημένον ἐςὶν, ἔχον διπλόην τινὰ δυσόρατον διὰ λεπτότητα, δι ἧς τὸν ἰοβόλον ἰχῶρα προϊησιν. *Omnis autem Scorpionis aculeus perforatus eſt, habens fiſtulam quandam, quæ præ tenuitate videri nequit, unde venenoſa ſanies emittitur.* Foramen omne negat contrà *Galenus Loc. Affect.* L. VI. c. 5. Sed omnis *Scorpionis* Aculeum perforatum, & *Africani* quidem triforum teſtantur Obſervationes modernæ Microſcopiales, aſt non in extremitate ſua, verùm ad latus. Videatur poſt *Redium* Celeb. *Vallisnerius Raccolta di vari Trattati* p. 157. Hujusmodi aculeum ſiſtit nudo oculo Fig. A. armato Fig. B. Scorpionem communem naturali magnitudine C. majorem D. ex Indiâ Orientali allatum. De ipſo Scorpionis veneno ejusque effectibus dabitur fortè alibi commodior differendi occaſio.

Scorpiones inter Serpentes retulere *Celſus* L. V. c. 27. *Plinius* L. XI. c. 25. Sed nullo jure, ſi Zoographiæ Leges ſpectes. Sunt illi Inſecta, hi Quadrupedum ἄπας appendix. Attamen ratione veneni junguntur perſæpe, ut in noſtro Textu, Serpentibus. *Eccleſiaſtic.* XXXIX. 35. *Dentes ferarum, & Scorpiones, ac Gladius exitialem pœnam irrogans impiis. (Beſtiarum dentes, & Scorpii, & Serpentes, & Romphæa vindicans in exterminium impios)* Luc. X. 19. δίδωμι ὑμῖν τὴν ἐξουσίαν τοῦ πατεῖν ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπίων. Luc. XI. 11. 12. μὴ ἀντὶ ἰχθύος ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ; ἢ καὶ ἐὰν αἰτήσῃ ᾠὸν, μὴ ἐπιδώσει αὐτῷ σκορπίον.

Quin imo in calidioribus Climatibus, quale eſt Deſertum inter Judæam & Ægyptum, in ſocietate viuunt Serpentes ac Scorpiones, repens utrumque Animal. Occurrunt quoque loca, quæ à Scorpionibus nomina ſunt ſortita. In partibus Judææ meridianis, non procul ab extremo Lacu Asphaltite Mons à Scorpionum copia dictus *aſcenſus acrabbim*, *Scorpionum*, Num. XXXIV. 4. Joſ. XV. 3. Jud. I. 36. fortè & *Acrabatene* Regio Idumææ vicina, 1. Maccab. V. 3. & alia *Acrabatena*, una ex Judææ Toparchiis inter Neapolim & Jerichunta, de qua v. *Reland. Palæſtin.* p. 191. conf. Bochart. Hieroz. P. II. L. IV. c. 29.

Agmen Animantium venenatorum in Textu noſtro memoratorum claudit *Dipſas* ſerpens, viperæ ſimilis, ſed minor, vix dodrantalis, albo corpore, caudâ gracili, duabus lineis nigris inſigni, Arabiæ & Ægypti deſerto familiaris. Claudit, inquam, ſi ſequimur *Hieronymi* verſionem. *Ductor tuus fuit in ſolitudine magna atque terribili, in qua erat ſerpens flatu adurens, & Scorpio, ac dipſas,* צִמָּאוֹן *ſimmaon.* Et ſanè Poloni Dipſadem vocant voce conſimili *Zmija*. *Meninzk. Lex.* p. 5548. Accedit quoque Turcarum *Symmet*, Plur. *Symem*, *Symam.* Serpens mas. Id. p. 2986. Sed multa ſunt, quæ docent, *ſimmaon*, δίψαν potius notare quàm δηϊάδα, *ſitim*, *ſiccitatem*, *ſiticuloſum locum*, ut nos quoque reddimus, *ſiccitas abſque ulla Aqua*, *eine eitele Dürre, und kein Waſſer.* conf. Pſal. CVII. 33. Jeſ. XXXV. 7. Et nobiscum conſentiunt LXX. omnesque alii, præter *Hieronymum* Interpretes. v. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. III. c. 8. Interim ne quid deſit earum rerum, quæ illuſtrando Textui inſeruiunt, Dipſada ſerpentem ſiſtimus Fig. E.

TAB. CCCXXXIV.

Deut. Cap. XI. verſ. 10. 11.

Quoniam Terra iſta, ad quam tu jam proficiſceris, ut occupes eam, non eſt ſicut Terra Ægypti, de qua egreſſi eſtis, ubi ſeminabas ſemen tuum, & (a) rigabas pedibus tuis quemadmodum hortum olerum.

(a) Diſcurrendo ſcil. ac per elices & riuos ex Nilo deriuando.

Terra autem iſta, ad quam tu transis, ut eam poſſideas, montes habet & valles, & ex aquis cœleſtibus irrigatur.

Terra enim, ad quam ingrederis poſſidendam, non eſt ſicut terra Ægypti, de qua exiſti, ubi jacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ:

Sed montoſa eſt & campeſtris, de cœlo expectans pluuias.

Locan-

DEUT. Cap. XI. v. 10. 11.
Terra ex omni parte beata.

V. Buch Mosis Cap. XI. v. 10. 11.
Glückseligkeit des Heiligen Landes.

I. G. Pinz sculp.

LOcantur heic veluti in parallelo, ſibique tamen certo ſenſu oppoſitæ binæ Regiones, *Ægyptus* & *Palæſtina:* una, in qua Ars fidelis miniſtra Naturam adjuuat; altera, in qua Natura Arti præcurrit. Utraque DEI donariis clara. In *Ægypto*, præſertim ſuperiori, à Thebis Syenen usque, pluuia eſt perrara. Non pluuio ſupplicat herba Joui. Sed defectum cœleſtis Aquæ ſupplet annuâ irrigatione, quâ cum limo ſuo exundat, *Nilus*. *Seminatur* heic poſt Exundationem *ſemen*, ſed quia Solis ardor humum exiccat, *riganda* haud absque labore *pedibus* manibusque Terra. Aſt cœlitus rigatur *Terra Sancta*, & id præſtat optima DEI Prouidentia, cui omnis Hominum induſtria haud eſſet ſuffena. Quis, quæſo, Aquam portaret humeris ad editiora loca? quis irrigaret paſcua montana? En ſummi benefactoris promiſſa! cujus *oculi ſunt jugiter ſuper Terram* illam, *ab initio Anni ad finem usque — Dabo pluuiam Terræ veſtræ ſuo quoque tempore, pluuiam tempeſtiuam*, autumnalem, & *ſerotinam*, vernam, *ut colligas frumentum tuum, vinum tuum, & oleum tuum; Dabo inſuper herbam in agro tuo pro jumentis tuis, ut & tu comedas & ſatieris* v. 12. 14. 15. *(Oculi illius ſunt à principio anni usque ad finem ejus. — Dabit pluuiam terræ veſtræ temporaneam & ſerotinam, ut colligatis frumentum, & vinum, & oleum, fœnumque ex agris ad paſcenda jumenta, & ut ipſi comedatis ac ſaturemini.)*

Olerum ſiue *oleraceos* Ægyptiorum *Hortos* ſi oculis mentis introſpicere lubet, non tam repræſentandas nobis habemus *Betas* noſtras & *Braſſicas*, aliaque hujus generis Olera in Hortis noſtris obuia, niſi per ירק *jarak* intelliges omne *Olus* cujuscunque Terræ vel Regionis, quo ſenſu ſumere videntur Interpretes. Si ſpecialius quid deſideres Ægypto proprium & familiare, ſelige mecum *Corchorum ſiue Melochiam* J. B. *Olus Judaicum Auicennæ & Moluchi Arabum Rauwolfio* nuncupatum: *Alexandrinorum cibus* hic cluet *Plinio* L. XXI. c. 32. *conuolutis foliis ad ſimilitudinem Mori* Judæorum, quia cocta folia cum carne edunt, teſte citato *Rauwolfio*. Hanc Plantam optimè & ita deſcribit ἀυτόπτης *Alpinus Plant. Ægypt.* c. 28. p. 92. *Melochia eſt Herba Blito perſimilis, folia tamen anguſtiora, longiora, acutioraque habens, flores ejus ſunt parui crocei, leucoris minoribus, è quibus ſemina parua, nigra, Melanthio proxima in quædam obliqua cornua concluſa producuntur. — Facultate planè ſimilis Althææ videtur — In cibis nihil eſt ipſa Ægyptiis familiarius vel gratius: decoquunt enim in aqua vel jure carnium, ut nos Betam elixare ſolemus. Conuiuia carentia Melochiæ ferculis ab his parum reputantur; cibus quidem illis populis eſt familiariſſimus, ex quo multi tamen malè ſe habent, nam parum nutrit, & ſuccum viſcidum gignit*, &c. In Frontiſpicio Tabulæ præſentis hanc Plantam ſiſto, ad marginem autem characteres ex *Tournefortio;* florem nempe roſaceum, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod abit in fructum cylindri æmulum, quinquecapſularem, quinquefariam dehiſcentem, ſeminibusque fœtum utplurimùm angulatis. Quibus notis addit laudatiſſimus Botanicus folia alterno ordine in caulium nodis naſcentia. *Inſtitut.* p. 259. Tab. 135.

Addam in hunc Textum nonnulla, quæ ſupra quidem commodius adferenda fuiſſent, Lectori tamen haud futura ingrata, de Regionum, quales fuere *Ægyptus* & *Palæſtina*, & quales hodie ſunt *Belgium* & *Heluetia* differentia. Conſtant planæ, *Belgium* & *Ægyptus*, ex cruſtis craſſis & horizontalibus, nec tam indigent Aquâ cœlitus delapſa, quia Aquæ ſeu marinæ, ſeu fluuiatiles, percommodè duci poſſunt ab Urbe in urbem, à Pago ad pagum, imò paſſim ab una domo ad aliam, ut proin non ſit pratum, non Campus, non Hortus, quæ Aquis indigeant. *Belgii* tamen alia eſt ratio, quam *Ægypti*, alia etiam Aquarum diſpenſatio. Heic inſeruit Nilus non irrigationi duntaxat, ſed & potui, & culinario uſui. Quum ibi contra omnis fere Aqua ſit marina, ſalſa, commoda quidem, percolata prius per Terræ poros nutriendis Plantis, ſed neque ad cibum, neque pro potu; quapropter ſupremi Numinis Prouidentia Belgis majori quidem quàm Ægyptiis copiâ largitur Aquam pluuialem, quam ſtudiosè colligunt in ciſternis. In Terris montoſis, inæqualibus, *Palæſtina* & *Heluetia*, ſunt Terræ ſtrata eleuata, Plana innumeris modis inclinata, ita ut Aqua non ſolùm in Lacubus, Fluminibus ac Riuis, ſed & in ipſa Terra ſolida continuò per poros defluat, & juxta Leges Motus citius tantò, quò magis eſt inclinatum Planum. Hinc prolucet indiſpenſabilis neceſſitas tot Hydrophylaciorum infra- & ſuperraneorum, è quibus immenſâ copiâ ſurgant vapores; tot Lacuum, Fluminum, Riuorum, Fontium; ſed & ratio copioſioris Pluuiæ, quæ, atteſtante propriâ meâ, & aliquot luſtrorum, Experientiâ cadit in Heluetia, quàm in ulla fortè alia Europæ Regione. Unde eſt, quòd aliquot menſium vel etiam ſeptimanarum æſtiua ſiccitas adeò ſit Terræ noſtræ, & Plantis noſtris fatalis. Quæ conſideratio inſigni eſt rurſum prouidentiſſimæ DEI Bonitatis argumento. Ut taceam prærogatiuam, quâ Pluuialis Aqua deſtillata præcellit omnibus aliis, marinis, lacuſtribus, fluuiatilibus, quæ etiam ſunt ponderoſiores, utpote partibus heterogeneis, ſalinis, terreſtribus, impurioribus imprægnatæ. Ut omnino de Terra noſtra jure prædicare poſſimus, quod de Canaanitide Moſes v. 12. ad quem porrò obſeruandum, non delabi Aquam vel niuoſam, vel pluuialem, absque ordine, vel menſura, non caſu, numeratas tantùm non & ponderatas eſſe ad Diuinæ Prouidentiæ lancem omnes guttulas, per totum Anni decurſum: cadere majori copiâ tunc Aquas,

ſi iis magis indigeant vegetabilia: & eſt hæc ratio, cur mediâ ſæpe Æſtate diutinam ſiccitatem inſequantur largi Imbres, quos Terra, Terri- & Agricola auidis excipit amplexibus, deſideratos diu.

TAB. CCCXXXV.

Deut. Cap. XIV. verſ. 4.

Hoc eſt Pecus, quod comedetis, Bouem, pecudem Ouium, & pecudem Caprarum.

Hoc eſt animal, quod comedere debetis: Bouem, & Ouem, & Capram.

MAnſit Moſes Leuit. XI. 2. 3. in terminis generalibus, nunc verò determinat munda ea Animalia, quæ *ungulam ſeparant, & ungulas fiſſura findunt, ruminationem ſurſum reuocantia*, nempe *Bouem, Pecudem ouium, & pecudem Caprarum*, id eſt, ut Zoologi loqui amamus, Genera Bouinum, Ouinum, & Caprillum.

Superſedere facilè poſſumus heic ampliori Textus explanatione, quia ſupra jam ſatis ſuperque fuit demonſtratum, in quo puritatis & bonitatis conſiſtat ratio: & vel ſolum pabulum, Vegetabilia ex optimis, aliàs ratione fibroſæ ſuæ & tubuloſæ ſtructuræ corpori noſtro adæquatis; Ventriculus quadruplex, optimum excoquens Chylum; Chyli hujus perfectiſſimi commutatio in Carnem ſuam, εὐπεπτον: ipſa tandem quotidiana Experientia, argumenta præbent fortiſſima. Fuere quidem Nationes, quæ ſuperſtitione vel allutæ, vel tractæ, ab eſu Carnis Bouinæ abſtinuere: Induci facilius potuiſſent *Ægyptii* & *Phœnicii*, *Porphyrio* teſte, ut veſcerentur carne Humana potius, quàm Bouina. Idem memorat *Herodotus* de *Barcæis*, *Cyrenæis*, *Africanis* inde ab Ægypto ad *Tritonidem Lacum*. Ex alio principio morte mulctabant *Phryges* eum, qui Bouem aratorem interfeciſſet, teſte *Ælian. Hiſt.* L. XII. c. 34. Et expreſſa legitur apud eundem *Var.* L. V. c. 14. *Athenienſium* Lex. Βὲν ἀρότην ἢ ὑπὸ ζυγὸν πονήσαντα σὺν ἀρότρῳ, ἢ καὶ σὺν τῇ ἁμάξῃ, μηδὲ τοῦτον θύειν, ὅτι καὶ ἔτος ἐὴ ἂν γεωργὸς, καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνὸς. *Bouem aratorem, & ſub jugo laborantem cum aratro, vel cum plauſtro, ne mactanto: quia ille etiam eſt agricola, & Hominum in laboribus ſocius.* Et *Plato* L. VI. *de Leg.* ὅτι καὶ βοὸς ἐτολμῶμεν γεύεσθαι, *cum ne bouem quidem guſtare audebamus.* Refert *Ælianus Var.* L. VIII. c. 3. in *Diipoliorum* & *Buphoniorum* Feſtis mactato boue enſem damnatum, tanquam cædis auctorem. Æneâ ætate, teſte *Arato*,

——— πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτῆρα,
——— Boues aratores primi guſtarunt.

Ad ferream deſcendit *Cicero* L. II. *Nat. Deor.*

Ærea ſed poſtquam proles terris data &c.
Ferrique inuento mens eſt lætata metallo,
Polluit & Taurus menſas aſſuetus aratro.

Apud *Plinium* L. VII. c. 56. *Animal occidit primus Hyperbius Martis filius, Prometheus Bouem.* Et *Pythagoras* ſui ſæculi Homines ab Animalium cæde abſterrens, hoc potiſſimùm urget apud *Ouidium Metam.* L. XV.

Quid meruere Boues, animal ſine fraude, doloque,
Innocuum, ſimplex, natum tolerare labores?
Immemor eſt demum (an Diuûm?) nec frugum munere dignus,
Qui potuit, curui dempto modò pondere aratri,
Ruricolam mactare ſuum, qui trita labore
Illa, quibus toties durum renouauerat annum,
Tot dederat meſſes, percuſſit colla ſecuri.

Neque veteres Romani ab hac ſuperſtitione fuere immunes. *Plin.* L. VIII. c. 45. *Damnatus à populo Romano, die dicta, qui concubino procaci rure omaſum ſe ediſſe negante, occiderat Bouem: actusque in exilium, tanquam colono ſuo interempto.* Et *Columella Præf.* L. VII. de Boue. *Cujus tanta fuit apud Antiquos veneratio, ut tam capitale eſſet Bouem necâſſe, quam ciuem.* His omnibus opponimus expreſſam DEI Legem tum generalem Gen. IX. 3. *Quicquid mouet, quicquid viuit, ſit vobis in eſcam.* Tum ſpecialem noſtri Textus. Ut proin non peccent, qui creaturas ad illum referunt uſum, propter quem à Deo creatæ ſunt. Hæc, & alia, *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. C. 33.

TAB.

DEUT. Cap. XIV. v. 4.
Animalia munda.

V. Buch Mosis Cap. XIV. v. 4.
Reine Thiere.

G. D. Heüman. sculpt.

DEUT. Cap. XIV. v. 5. 6.
Ex mundis genus cervinum.

V. Buch Mosis Cap. XIV. v. 5. 6.
Hirschen-Geschlechte.

I. A. Fridrich sculps.

DEUT. Cap. XIV. v. 5.
Rupicapra, Ibex, Bubalus.

V. Buch Mosis Cap. XIV. v. 5.
Gems, Steinbock, Büffel.

I. A. Fridrich sculps.

DEUT. Cap. XIV. v. 5.
Tragelaphus, Pygargus.

V. Buch Mosis Cap. XIV. v. 5.
Hirsch-Bock.

I. A. Fridrich sculps.

DEUT. Cap. XIV. v. 5.
Colon.

V. Buch Mosis Cap. XIV. v. 5.
Wilde Schaaf- oder Ziegen-Art.

I. A. Fridrich sculpr.

DEUT. Cap. XIV. v. 5.
Urus, Oryx, Alce.

V. Buch Mosis Cap. XIV. v. 5.
Urochs, Elend.

I. A. Fridrich sculps.

DEUT. Cap. XIV. v. 5.
Camelo - pardalis, Tarandus.

V. Buch Mosis Cap. XIV. v. 5.
Cameel - Pardel, Rennthier.

I. A. Fridrich sculps.

TAB. CCCXXXVI — CCCXLI.

Deut. Cap. XIV. verſ. 5. 6.

5. Ceruum, Capream, Ibicem, (a) Hircoceruum, (b) Unicornem, Urum & Tarandum.

(a) Alii legunt Bubalum, aut Bouem ſylueſtrem.
(b) Tragelaphum.

6. Et omne Animal, quod ſeparat Ungulam, & findit fiſſuram utriusque ungulæ, ruminationem ſurſum reuocans in pecoribus, hoc comedetis.

5. Ceruum & Capream, Bubalum, Tragelaphum, Pygargum, Otygem, Camelopardalum.

6. Omne animal, quod in duas partes findit ungulam, & ruminat, comedetis.

PErgimus cum Legislatore ad Specialem Animantium mundorum enumerationem.

אַיָּל *aijal, Cerui* nomen eſt Hebræis, Chaldæis, Syris notiſſimum. Æthiopes ſcribunt *chajal*. Ἀιὰλ in Διὰλ mutauit Scribarum imperitia. *Heſychius*. Διὰλ τὴν ἔλαφον χαλδαῖοι. Apud Arabes legas *ijal, igial, ijiel, uijel, eijil, we-yll. Meninzk. Lex.* p. 5889. Neque abludunt Perſarum *ahu, ahubere* Hinnulus, pullus Dorcadis. *Id.* p. 573. Polonorum item *Jelen*. Id. p. 2960. Eſum ceruinæ Carnis, tanquam mundæ ſuadent Characteres ratione ſuffulti, ſed quoque Sacri Codicis teſtimonium. Deut. XII. 15. *ex ea, carne, comedent, quemadmodum Capream aut Ceruum.* 22. *ſicut caprea comeditur atque Ceruus, ſic comedes illa;* Sane in quotidiano Solomonis victu I. Reg. IV. 23. erant *decem boues ſaginati, & viginti boues paſcales, centumque oues, præter ceruos, capreas. (Decem boues pingues, & viginti boues paſcuales, & centum arietes: excepta venatione ceruorum, caprearum.)* Nimirum olim, ut hodie, erant Cerui in Principum deliciis. Et comparat Moſes Deut. ll. cc. teneram atque delicatam quamuis carnem cum ceruina, ut nos vulgari loquendi uſu cum Capone, *es iſt zu eſſen wie Capaunen-Fleiſch.* Non equidem diffitendum, eſſe carnem Ceruinam compactam magis eâ, quæ aliorum eſt Ruminantium biſulcorum, & palmam cedere bouinæ, & ouillæ, imò malè audire Veteribus Medicis: Febres quartanas excitare apud *Auicennam*. L. II. *Can. cap. de Carnibus:* ſuccum generare vitioſum & concoctu difficilem teſte *Galeno* L. III. *de Alim. Facult.* c. 2. & *Aetio Tetrab.* I. Serm. 2. c. 121. ut quoque *Simeon Sethi* damnat τὰ τῶν ἐλάφων κρέατα ut κακόχυμα, δύσπεπτα, καὶ μελαίνης χολῆς γεννητικά. Ceruos autem in Canaanitide fuiſſe frequentes conſtat vel ex *Æliano*, qui in fine L. V. caput habet ſingulare περὶ τῶν ἐν τοῖς Σύροις ἐλάφων. Proin Anno ſterili pabulum Ceruis defeciſſe queritur Jeremias XIV. 5. Et in ſacro dramate, cujus ſcena eſt in Judæa, Jeroſolymitanas virgines ſponſa ita compellat. Cant. II. 7. III. 5. *Adjuro vos, filiæ Jeruſalem, per Capreas & Ceruos Agri;* unde conſtat, deſcendiſſe aliquando ex montibus editioribus ad campeſtria loca. conf. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. III. c. 17. *Peyer. de Anim. Ruminant.* p. 32. 274.

צְבִי *tſebi, Dorcas, Caprea*, eaque mas. Chaldæis טבִיָא *tabia*, Arabibus *dſabi, zæbi* comm. gen. Plur. pauc. *æzbi* Pl. mult. *zyba, zubi, zæbejat*, fœmina *zæbjet. Meninzk. Lex.* 3168. Ita quoque Chaldæi Fœmininum dant טבִיתָא *tabietha, tabitha*. Hinc *Tabitha* puellæ nomen à Luca Græcè redditur Δορκάς. Act. IX. 36. Ipſum autem Hebræum nomen צְבִי proprie *decus* ſonat; decorum nempe & venuſtum eſt Animal Caprea, fuitque in deliciis apud veteres. *Martialis:*

Delicium paruo donabis dorcada nato.

Melioris notæ Capreæ caro, de qua jam ſupra occaſione Ceruinæ, apud veteres Medicos, quàm illa Cerui. Arabibus cluet venaticarum ſaluberrima. *Simeon Sethi.* τὰ τῶν δορκάδων κρέατα εὐχυμώτερά ἐστι τῶν λοιπῶν ἀγρίων ζώων, καὶ πρὸς τὸ ἀνθρώπινον σῶμα ἔχει οἰκείωσιν. *Caprearum carnes melioris ſucci ſunt, quàm cæterorum agreſtium Animalium, & ad humanum corpus ſunt magis accommodatæ.* conf. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 25.

יַחְמוּר *jachmur* Animal pertinet certò ad Ceruinum genus, vel Caprinum. LXX. habent βέβαλος, *Bos ſylueſtris*, quem & in Gloſſis marginalibus indicat Latina noſtra. Et ipſi Arabes moderni *gamur* vocant Bubalum. *Meninzk. Lex.* 3854. Item *giamus*, Plur. *gewamis*, à Perſico *gawmis* Id. 1563. 2959. Sed obſeruandum, ne quid derogetur vel Ceruis, vel Capris, fuiſſe

βέβαλον eo tempore, quo vixere LXX. capræ genus, vel Capreæ, quam *Heſychius* vocat δορκάδιον. Conſtat id ex optimis Scriptoribus Græcis *Herodoto*, *Ariſtotele*, *Strabone*, *Æliano*, apud quos βέβαλοι, vel βεβαλίδες inuenias ſocios τῶν ἐλάφων & δορκάδων. Magnitudinem *Oppianus* mediam ſtatuit inter Ceruum eurycerota & Capream.

Βέβαλος ἄυτε πέλει μείων δέμας εὐρυκέρωτος,
Μείων εὐρυκέρωτος, ἄταρ δόρκα μέγ' ἀρείων.

Bubalus rurſus corpore minor eſt eurycerote,
Minor eurycerote, at capreâ multò præſtantior.

Quomodo vero Bubali vox ex genere Ceruino migrauerit ad Bouinum, errore vulgi, docuit jam olim *Plinius* L. VIII. c. 15. Sunt, qui ex noſtro *Jachamur* fabricant *Onagrum*, haud dubie propter affinitatem cum חֲמוֹר *Chamor*, quæ vox *Aſinum* notat. Et Arabibus, *Golio* interprete *Jæhmur* Animal eſt bicorne in ſyluis degens haud diſſimile Ceruo, at eo velocior, Onager ſiue Aſinus ſilveſter. Sed directè hæc de Onagro interpretatio contrariatur Scripturæ Sacræ, nam hoc Animal neque ruminat, neque biſulcum eſt, per conſequens immundis accenſendum. Originem vocum יַחְמוּר *jachmur* & חֲמוֹר *chamor* ſi deriues à חָמַר *chamar*, *rubere*, erit noſtrum *jachmur capra* vel *caprea* rubris donata pilis: Characterem hunc habet *Cemas* apud *Ælianum* L. XIV. c. 14. Κέμας δρομεῖν ὠκίστη θυέλλης δίκην, ἰδεῖν δὲ ἅμα πυῤῥόθριξ καὶ λασιωτάτη. *Cemas inſtar turbinis curſus eſt citiſſimi, ſpeciem quod attinet pilis rufis, & perquam hirſuta.* Quod Animal nomine & re conuenit *Rupicapræ*, quam Germani vocamus *Gems*, Galli *Chamois*, Itali *Camuzzo* & *Camoſcia*. Eſt quippe hæc pilis rufis, & hirſuta, præſertim Æſtate. Noſtra ſanè Tigurina vernacula *jachmur* explicat per *Gems*. Sed obſtant *Bocharto* Cornua, quæ *Ælianо* ſunt ἀντία. Verùm hic ipſe Character militat potius pro Rupicapris, quàm contra eas, ſunt quippe harum Cornua reuerà ἀντία, in contrarium verſa, retrò verſa, ſitui aliorum Cornuum aduerſa. In auxilium vocat *Bochartus* Arabes Scriptores *Damirem* & *Alkazuinum*, quorum teſtimonio *Jachmur* vel *Jamur* degit circa Euphratem, rufipile, formâ Ceruo ſimile, ſed celerius, ſerratis cornibus, quibus mediantibus non ſolùm decorticet Arbores, ſed has ipſas reſecet. His circumſtantiis Ἀνθόλοψ deſcribitur apud *Euſtathium in Hexaemeron*. p. 36. quæ verò ſuſpectæ ſunt fidei, quia de hujusmodi Animalibus Truncos Arborum reſecantibus nil norunt moderni Rerum naturalium Scriptores. Serrata cornua conuenirent haud malè *Ibici*, quam habet Latina noſtra, & Arabs quidam *Ibno-Saida*. Ex quibus omnibus id elici poteſt eſſe *Jachmur* vel *Rupicapram*, quam habet vernacula noſtra, vel *Ibicem*, quam Latina.

Sequitur יַעֲנָה *akko* Animal ex mundis, certe non, quod quidem ſomniarunt duo Rabbini, Mardocheus & Pomarius, ad Aues pertinet, ſed ad Quadrupeda ruminantia biſulca: LXX. Vulgata, Latina noſtra Verſio habent τραγέλαφος, *Hircoceruus*, Animal ex fabuloſis, vel certè monſtroſis; Hujusmodi Monſtra producit aliquando Heluetia noſtra montoſa, ubi accidit, ut Cerui Veneris Oeſtro perciti cum Vaccis coeant. Hujusmodi monſtra, quæ ab anteriore parte Vitulum, à poſteriore Ceruum referunt, vidit *Regina* montium loco dicto *Ober Ebnit*, qui ad *Meggenſes* pertinet, A. 1649. *Mons Pilati* Lucernatum, A. 1653. *Entlibuchana* Regio, item Pagus *Benken* in *Valle Limoſa* A. 1606. teſte *Groſſio Annal. Baſil.* p. 234. *Sancto Gallum*, A. 1684. *Mons Tigurinus* A. 1688. teſte *Wagnero Hiſt. Nat. Helv.* p. 188. Et ſingulare commemoratione dignum atque peculiari Monſtri μοχθο - λαγω - αιγαγρο - πρόβατο - κύνε Epitheto, *Sondrii* in *Valle Tellina* Calendis Januarii 1711. genitum à *Vacca*, cujus proin potiores partes ſunt *vituli*, caput formâ fere *Cuniculi* vel *Leporis* utrinque ad Latus binos habuit acutos dentes prominulos, tam in ſuperiori quàm inferiori maxillâ: Aures acutæ: Capiti adjacebat poſtica pars corporis cum caudâ: bini pedes poſteriores *Rupicapræ* ſimiles: infra caput propendebat pes alius Rupicapræ: Corporis ipſius Pili ab anteriore parte erant *vitulini* à poſtica *ouilli* teneri: Ex corporis latere prodibat pes *caninus:* Prope caudam, quæ ipſa fuit *canina*, aperiebatur aluus. Deſcriptionem hanc do, ut & Iconem, quam utramque feci αὐτόπτης. Ab Hircoceruo transit vernacula noſtra Verſio ad *Ibicem*, ſecuta Syriacam, Chaldaicam & Arabicam. *Kimchi* vocat *Hircum ſilueſtrem:* Italis placet *Rupicapra*. Omnes in eo conſentiunt, eſſe *Hirci* cujusdam feri ſiue ſilueſtris ſpeciem. Et conjectare licet, intelligi poſſe *Capras* illas Orientales, quas incolæ edomare nórunt, ut etiam iis inequitare poſſint. Hujusmodi Capras reperias circa *Damiatam* Palæſtinæ: vocantur *Capræ Indicæ*, & ab Ægyptiis *Capræ Mambrinæ* à Monte *Mambre* prope *Hebron*. Habent eæ, teſte *Ariſtotele Hiſt. An.* L. VIII. c. 28. ὦτα σπιθαμῆς καὶ παλαιστῆς, *aures ſpithamæas*. Hujusmodi Capris inequitare ſolebant pueri in Circenſibus Ludis, de quibus ita *Antholog.* L. I. c. 33. *Epigr.* 28.

Ἠνίκα δή τοι παῖδες ἴνι, τράγε, φοινικόεντα
Θέντες, καὶ λασίῳ Φιμὰ περὶ ζόματι,
Ἵππια παιδεύεσι θεᾷ περὶ ναὸν ἀεθλα,
Ὄφρ' αὐτὰς Φοίβης ἵππια τερπομένας.

Purpureas habenas, o Hirce, pueri tibi
Imponentes, & capiſtrum circa os hirſutum
Prope Dei Templum ludunt equeſtria certamina,
Ut ipſos portes blandè exhilaratos.

Inſer-

Inſeruiebant hujusmodi Hirci pueris in Arte equitandi initiandis. Quò pertinet illud *Juuenalis* Sat. V.

Qui tegitur parmâ & galeâ, metuensque flagelli,
Diſcit ab hirſuta jaculum torquere capella.

Apud Arabem quendam Scriptorem occurrit *anak* pro *Capra*, vox *akko* noſtro affinis; & adhuc hodie Arabes Capram appellant *ænak*. *Meninzk. Lex.* 3335.

Propius, & nomine, אקו noſtro accedit Quadrupes fera Tartaris *akkjk albo Vwana*, à Turcis *akoim* dicta, *Colon* aliàs appellata, apud *Scythas* & *Sarmatas* gregatim obuia, inter Ceruum & Arietem media, albicante corpore, carnis ſuauiſſimæ, cujus Cornu à Libero Barone *Joh. Bonar de Balice* noſtro *Conrado Geſſnero* miſſum, & in *Iconib. Quadrup. ferar.* p. 40. deſcripto inter rariora mei Muſei poſſideo.

Difficilius fortè conjectu, quid ſit דישון *Diſchon*. LXX. habent πύγαργος, quæ vox *Aquilam* notat caudâ albâ præditam, ſed quoque Animal quadrupes, quod ex *Herodoto*, *Æliano*, *Plinio* conſtat. Bellonius in ſuis *Obſeruationibus* baptizat id nomine *Tragelaphi*. *Tragelaphus*, inquit, *quoad pilos Ibicem refert, ſed barbâ caret. Cornua ei caprinis ſimilia, ſed aliquantò retorta, ſicut Arieti &c. Crura ejus albicant, ouillis ſimilia. Cauda nigra; coxæ ſub cauda albæ ſunt. Pili armorum & pectoris longi & nigri ſunt, cum duabus maculis cinereis utrinque ad ilia.* Hinc eſt, quod πύγαργος dicatur *natibus albus*, & דישון nomen habeat à דשן cinis. Etiam ad דישון referri poteſt *Ceruus* ille apud *Geſſnerum* & *Agricolam*, qui à ſemiuſti Ligni colore *Brand Hirtz* dicitur, niger colore, ſed dorſo cinereo. Hebræo *Diſon* affine eſt Chaldæorum דיצא *diſa*, quòd *Rupicapram* denotat, Laconum δίζα, quæ vox *Capram* ſignificat apud *Heſychium*, Arabum *dehſa*, capra rubro-nigra. Sed *Arias* ex *Diſon* fabricat *biſon*, qui ad genus Bouinum ſpectat. Tigurinis Verſionibus placet *Unicornu*, *Einborn*, poſt Chaldaicam: In *Meninzkii Lex.* p. 807. legas pro Capra *Diſi Keci* Turcicum, & p. 1505. *teiſa* Arabicum vocabulum pro Capra hirceſcente, quæ Cornua oſtendit velut Hirci.

Sequitur תאו *Theo* vel Tho תוא, LXX. ὄρυξ, ut & *Hieronymo*. Sunt ex Chaldæis & Arabibus, qui inde faciunt Boum ferorum genus, uti & nos in utraque Verſione *Urum*, *Urochs*. Suffragia ſua dat *Bochartus Hieroz.* P. I. L. III. c. 28. Græcorum ὄρυγι, quæ genus eſt Ceruorum grandium, aliquando unicorne. Eſt namque *Theo* heic loci in ſiccitate aliorum Animantium ex genere Ceruino vel Caprino: *Uri* aliique Boues feri Regionum potius frigidarum ſeptentrionalium, quàm Judææ incolæ: Imò Bubalus aliique ex feris bobus excluduntur menſis. Et Jeſ. LI. 20. legitur de hoc Animali, *reti implexum* capi, id quod Bobus feris non quadrat. Orygis Icon, quàm exhibet *Jonſton. Quadrup.* p. 86. Tab. XXXVI. eſt *Alces*.

Ultimum noſtri Verſus & Textus Animal mundum eſt זמר *zemer*, quod LXX. *Hieronymus*, & plerique Interpretes, multæque Verſiones dant per *Camelopardalim*, quæ Arabum eſt *zurapha*, *zerafet*, *ziirafet*, Plur. *zerafi*, & *zeraif*, Turcarum *ſürnapa*, *ziirnapa*, *ziirnepa*, unde & Hiſpanorum *Girafa Meninzk. Lex.* 2438. 2443. 2484. Quæ Interpretatio dubios reddit Arabes atque Judæos circa carnis, an Lege permiſſa ſit, dura aliàs & δύσπεπτος, uſum. Aſt rejicit *Bochartus Camelopardalim*, quia neque Arabiæ neque Palæſtinæ ſit inquilina, ſed quidem Nubiæ & Æthiopiæ incola, propterea Europæis diu ignota. De ea nil prorſus habet *Ariſtoteles*. Græcorum primus, qui eam deſcripſerit, eſt *Agatharchides*, qui vixit ſub Ptolemæo VI. *Philometore*. Romæ ante Cæſaris tempora Beſtia hæc non viſa. Unde inferre licet, non ignotam fuiſſe duntaxat Moſis tempore, ſed & Alexandri, qui Moſe poſterior eſt Annis 1200. Quapropter recurrit Zoographus noſter inſignis ad genus Ceruinum vel Caprinum, ſeligens *Rupicapram*. Binæ noſtræ Verſiones volunt *Tarandum*, *das Ellend*. Eſt ſanè *Alce*, de qua integrum ſcripſit Tractatum *Heinſius*, & Diſſertationem eruditam Inauguralem diſcipulus quondam meus, & optimus amicus *Joh. Fridericus Leopold* Lubecenſis νῦν ἐν ἁγίοις, Animal ruminans & biſulcum. Sed quoque eosdem characteres habet diuerſus ab Alce *Tarandus*, *Scythicus* ille, *Ceruus palmatus Geſſnero* dictus, *Renn-Thier*, *Rein*, *Reen*, *Reyner*, *Rainger*, *Reins Thier*, Polonis *Renſcheron* dictus, in Norwegia, aliisque Prouinciis Septentrionalibus frequens, qui ipſe gaudet cognomine *Sürnapa*, & *Giraffa* in *Meninzk. Lex.* p. 2602. aliàs *Rangifer*.

In Tabulis explicationi Textus inſeruientibus eſt

Tab. 336.
A. Ceruus.
B. Caprea.

Tab. 337.
C. Rupicapra.
D. Ibex.
E. Bubalus.

Tab. 338.
F. Monſtrum ex Valle Tellina ſupra deſcriptum.

Fonteja Familiæ Numus, in cujus prona Caput Vejouis laureatum, ſub quo Fulmen, in auerſa puerulus alatus inſidens Capræ, Vejoui in Sacrificium datæ, in vertice pilei Dioſcurorum Aſtris inſigniti, in imo acroſtolium trifidum. *Vaillant. Fam. Rom.* p. 450. Tab. CCLXXVII.

G. *Ennæ* urbis Siculæ Numus apud *Paruta*m T. LXXX. n. 1. in cujus prona parte Cereris ΔΑΜΑΤΗΡ dictæ Caput, ab altera Animal ex Caprino ſimul & Ceruino genere, fortè *Hippelaphus*, *Tragelaphus*, vel *Pygargus*, vel *Dama* ſeu *Gazella*, v. *Spanhem. Præſt. Numism. Diſſ.* III. p. 156.

H. Himeræ urbis Siculæ Numus, in cujus una juuenis inſidens *Capræ* cum prolixo cornu in tergum reflexo, aure longa & demiſſa, fortè *Mambrinæ* vel *Indicæ* de qua ſupra. altera victoria in *Spanhem. Lib. cit.* p. 158.

Tab. 339.

I. Typus fere idem.

K. *Tragelaphus.*

L. *Pygargus.*

Tab. 340. a.

M. *Colon*, Capræ vel Ouis feræ genus ex Tartaria; & ad marginem *Cornu.*

Tab. 340. b.

N. *Urus.*

O. *Oryx*, ſiue ejus loco *Alce.* Tab. cit.

Tab. 341.

P. *Camelopardalis.*

Q. *Tarandus. Rennthier.*

TAB. CCCXLII.

Deut. Cap. XIV. verſ. 13.

Vultur, Pica & Miluus juxta ſpeciem ſuam.

TRes heic occurrunt ex impuris Aues אַיָּה, רָאָה & דַּיָּה, quarum binas priores expoſui ad Leuit. XI. 14. ut tertia duntaxat ſuperſit דַּיָּה *dajah*, per quam *Hieronymus*, Arabes, alii, intelligunt *Miluum*, *den Weihe*, ut & Latina noſtra, ac ſi eadem foret Auis, quæ in Leuitico vocatur רָאָה *daah.* Sed oſtenſum fuit ſupra רָאָה in Leuitico, & רָאָה in Deuteronomio eodem gaudere ſignificatu, & videt nemo non, in Textu præſenti diſtinctas eſſe דַּיָּה & רָאָה Aues. Angli, Itali, & ipſa noſtra Vernacula, ſubſcribentibus *Bocharto*, R. *Selomone*, *Caſtalione*, *Schindlero* דַּיָּה explicant per *Vulturem.* Argumentum petit *Bochartus* ex Jeſ. XXXIV. 15. ubi hæ Aues exprimuntur in plurali דַּיּוֹת *dajoth*, ſolæ autem ex rapacibus Vultures gregatim volent, teſtibus Rei Naturalis Scriptoribus. Et *Vultur* quidem *nigra* placet *Bocharto*, memorata quoque *Juuenali Sat.* 13.

——— nec ſaxum, aut Vulturis atri
Pœna.

Senecæ item in *Thyeſte* de *Tityo.*

Viſceribus atras paſcit effoſſis aues.

Boch. Hieroz. P. II. L. II. c. 9. p. 195.

In hac Tabula exhibet

Fig. A. Vulturem cinereum.

Fig. B. Vulturem aureum.

Nigri coloris eſt *Vultur Braſilienſis Urubu* dictus *Marcgrauio*, Belgis, *Menſchen-eeter*, *Tzopilote* Mexicanis Fr. *Ximenis* ſiue Aura *Nieremberg. Vultur Gallinæ Africanæ facie.* Ill. *Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica.* Vol. II. p. 294. Tab. 254. Fig. C.

Ixon, & Vulturem ac Miluum juxta genus ſuum.

Poſſem heic inſerere Anatomen *Vulturis Bætici* d. 25. Jan. 1726. ex Baronatu Alto-Saxenſi mihi allati, ſed eam in aliam commodiorem occaſionem reſeruo, caput duntaxat exhibens Fig. D. & ex Deſcriptione ea, quæ circa Ventriculi ſtructuram obſeruaui, quæue immundas Aues diſtinguunt à mundis. *Gula* inde ab Ore ad usque Ventriculum eſt ampla valde, imò Ventriculus ipſe totus unà cum Gula una videtur eſſe Gula, quæ inflata ſupra Ventriculum in diametro habet 4. pollices. Diſtinguenda nihilominus ſunt *Gula*, *Ingluuies* & *Ventriculus.* Hic præter figuram ſuam ordinariam ventricoſam ſiue utricularem membranoſam (qualem & habent aliæ Aues carniuoræ) fibras habet circulares fortes, muſculoſas, Orificium ſuperius vel nullum, vel ejusdem cum ipſa Ingluuie amplitudinis & latitudinis. Ingluuiei ipſius longitudo ſeſe extendit ad 4. pollices circiter. Hæc obſeſſa copioſiſſimis Glandulis, ordinata ſerie transuerſim poſitis, ſubtiliſſimis vaſis, quæ ſub Microſcopio viſuntur, irrigatis, ex quibus copioſus extillat humor digeſtioni ciborum crudorum deglutitorum neceſſarius. Adſunt præterea fibræ circulares validiſſimæ, quæ ipſæ etiam egregiè conſpiciuntur in Gula, ſed tenuiores hic longè & ſubtiliores. Sunt porrò obſervandæ duæ Valuulæ, major una ad ingreſſum Stomachi, minor altera ante egreſſum.

TAB.

DEUT. Cap. XIV. v. 13.
Vultures.

V. Buch Mosis Cap. XIV. v. 13.
Geyer.

I. A. Fridrich sculps.



DEUT. Cap. XVIII. v. 3.
Donaria pro Sacerdotibus.

V. Buch Mosis Cap. XVIII. v. 3.
Das Recht der Priester.

I. G. Pintz sculps.

TAB. CCCXLIII.

Deut. Cap. XVIII. verſ. 3.

Porrò jus Sacerdotum, quod eis à populo, nempe ab his, qui ſacrificant ſacrificia, ſiue Bos ſit, ſiue pecus, debetur, hoc eſt, dabunt ſacerdoti armum, & utramque Maxillam, atque Ventriculum.

Hoc erit judicium ſacerdotum à populo, & ab his, qui offerunt victimas: ſiue bouem, ſiue ouem immolauerint, dabunt ſacerdoti armum ac ventriculum.

EXponenda heic veniunt dona gratuita, quæ ad Sacerdotes jure deuoluebantur ab Iſraelitis ſacrificia DOMINO oblaturis, vel *pecudem mactaturis*, ut *Clericus* vertit וְזֹבְחֵי זֹבַח. Ut hodie ad Paſtorum ædes aduolare ſolent Pernæ, aliæue pecudum mactatarum partes.

זְרוֹעַ *Zeroa* eſt *Humerus*, *armus*, crus eſt integrum anterius, unâ cum Scapula, & Muſculis incumbentibus. A.

הַלְּחָיַיִם *utramque maxillam*, id eſt, caput integrum, quod duabus maxillis conſtat. B.

קֵבָה *Kebah* non eodem ſenſu ſumitur ab omnibus. LXX. *Philo* & *Joſephus* vertunt per ἔντερον, ἧνυστρον, ſed notat hoc vocabulum non omnem ſeu totum, quadruplicem Ventriculum, ſed quartum duntaxat, Gallis *Caillette*, Italis *Quaglio* dictum, quod ibi Lac in coagulum abeat, Germanis nobis *der Mägen*. Hoc ſenſu ſumit ἧνυστρον *Ariſtoteles Hiſt. An.* L. II. c. 17. cujus origo eſt ab ἥνυσε, *perfecit*, *abſolvit*, quia coctio in ultimo hoc ventriculo perficitur. Sunt, qui per ἧνυστρον intelligunt potius primum ſeu maximum Ventriculum, *der Wanſt* dictum, quo vocabulo utitur & noſtra Verſio vernacula. Ita ἔνυστρον *Heſychio* eſt τὸ μέγα ἔντερον τῶν ζώων, ἡ κοιλία, item ἡ πρώτη κοιλία τῶν μηρυκαζομένων ζώων: ita quoque *Nicandri Scholiaſtes* ad *Theriaca* v. 579. Seu primus ſit ἧνυστρον ex Ventriculis, ſeu poſtremus, patet id ſaltem ex Veteribus Scriptoribus, numeratum fuiſſe inter delicatiores Corporis partes. *Ariſtophanes* in *Equitibus Act.* 1. *Scen.* 3.

Ἐγὼ δὲ γ' ἧνυστρον βοὸς, καὶ κοιλίαν ὑείαν καταβρόχθησας.

Ego verò cum enyſtrum Bouis, & Ventrem porcinum deglutiuero.

Et *Act.* 4. *Scen.* 1.

Καὶ χόλικος, ἠνύστρε τε καὶ γαστὸς τόμον.

Et viſceris, & enyſtri, & ventris tomaculum.

Fig. C. exhibet Ventriculos ruminantium apertos.

TAB. CCCXLIV — CCCXLVI.

Deut. Cap. XVIII. verſ. 10. 11.

Non inueniatur in te, qui traducat filium ſuum, aut filiam ſuam per Ignem: nec diuinus, qui diuinando futura prædicit, nec Mathematicus, nec veneficus, nec maleficus,

Nec incantator, nec conſulens Pythonem, nec Magus, nec à mortuis ſciſcitans.

Nec inueniatur in te, qui illuſtret filium ſuum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia atque auguria: nec ſit maleficus,

Nec incantator, neque qui pythones conſulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem.

BEllam ecce Societatem, ſub Satanæ ſignis militantem! *Molochitas* aliis linquo, de reliquis pauca dicturus, qui ex peccaminoſo res futuras præſciendi deſiderio, Satanâ ductore, in arcana DEI inuolare ſibi audacter præſumunt. Quæ fraudis plena Ars jam olim in Orientalibus illis Regionibus frequens fuit, & eſt adhucdum, ut paucos reperias inter Perſas, Mogoliſtas, Indos, qui ante ſuſcipiant res agendas, quam μάντην ſiue Aſtrologum conſuluerint. Et utinam Zizania hæc exularent ex hortis & agris Chriſtianorum! Quid enim, dic ſodes, aliud ſunt in Calendariis, publicâ licet authoritate ſancitis, obuia de Pace, Bello, Principum Morte, Rerumpublicarum Fatis Prognoſtica, Regulæ obſeruari ſolitæ circa Venæſectionem, Scarificationem, Unguium præciſionem, & hujus furfuris alia, aliud quàm Diuinationes, Auguria, toties in Sacro Codice, & ſub Anathematis pœnâ prohibita? *Abominatur enim* DOMINUS, *quicunque iſta facit, & ob iſtas abominationes excindit eos* DOMINUS DEUS *tuus ante te* v. 12. *(Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiusmodi ſcelera delebit eos in introitu tuo)* Videamus hos magno oris rictu vel promittentes, vel minantes, ſuadentes, diſſuadentes, eâ, quam Textus præſcribit, ſerie.

קֹסֵם קֶסֶם *Koſem Keſamim*, LXX. μαντευόμενος μαντείαν, Vulgata, qui *ſciſcitatur hariolos;* propriè & juxta Textum Originalem *diuinans diuinationes;* Clericus, *qui diuinationibus utitur:* Latina noſtra, *diuinus, qui diuinando futura prædicit;* Vernacula, *ein Weiſſager.* Quibus terminis intelligere poſſumus vel peculiare quoddam Diuinationis genus, vel in genere Diuinatorem omnem, qui juxta regulas illicitas in Satanæ ſchola edoctas futura prognoſticari prætendit.

מְעוֹנֵן *meonen* haud dubiè deriuandum à עַיִן *ain, oculus*, vel עון *un, videre*, & eminus quidem, notatque dubio procul Aſtrologos ſiue Aſtromantas ἀςρομανέας, qui ex Aſtrorum ſitu & Aſpectibus, conjunctionibus, oppoſitionibus res futuras contingentes prædicunt: malum Orienti inde ab antiquiſſimis temporibus endemium, & hodie tantùm non neceſſarium, ut Perſarum e. g. Monarchæ facilius foret fortè Statuta Imperii ſubruere, quàm hujus farinæ homines, Regis & ſubditorum emunctores, Aulâ abdicare. Ab *Ægyptiis* doloſæ Artis origo arceſſenda, ſi *Herodotum* audimus L. II. c. 82. Καὶ τάδε ἄλλα Αἰγυπτίοισί ἐξιν ἐξευρημένα μοῖς τε καὶ ἡμέρῃ ἑκάςῃ θεῶν ὅτευ ἐςὶ, καὶ τῇ ἕκαςος ἡμέρῃ γενόμενος, ὁτέῳσι ἐγκυρήσει, καὶ ὅκως τελευτήσει, καὶ ὁκοῖός τις ἔσται. *Excogitarunt & alia Ægyptii, quis menſis diesue Deorum ſit, quid huic illiue hoc illoue die genito contingere debeat, quis qualisue ſit futurus, quis vitæ exitus.* Eſt ipſa hæc ſcientia, ſi quæ eſt, à qua tam ſeriò populum ſuum dehortatur DEUS per Prophetam Jer. X. 2. *Viam Gentium ne diſcatis, & à Cœli ſignis ne formidetis, nam Gentes ab illis formidant. (Juxta vias Gentium nolite diſcedere, & à ſignis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes.)* Hujus farinæ, furfuris potius, homines vernacula noſtra appellat *Tagwehler*, quia certos dies, imò horas & minuta pro his illisue rebus agendis ſeligunt: aliis audiunt *præſtigiatores:* Latina noſtra habet, *Mathematici.* Sed diſtinguendi ſunt probè *Mathematici* à *Mathematicis*, ut *Auſonii Morelli* nomine *doctos à doctis* in *trutina Maceratæ* A. 1665. edita diſtinxit *Dan. Guil. Mollerus*, Eruditionis perraræ Prof. Altorffinus, quem aliquando audiui in Diſputatione publica Aduerſarium eludentem diſtinctione *inter me & te.* Sunt *Mathematici* proprio & genuino, qui in Scholis Veterum Græcorum obtinuit, ſenſu, & qui obtinet adhuc hodie, ii, qui ſeſe applicant Scientiis nobiliſſimis, certiſſimis, veriſſimis, quæ verſantur circa numeros, menſuras, Pondera, Arithmeticæ, Geometriæ, aliis, quæ his inædi-

DEUT. Cap. XVIII. v. 10. 11.
Ασχομάνται.

V. Buch Mosis Cap. XVIII. v. 10. 11.
Stern-Gucker.

G. D. Heuman sculp.

DEUT. Cap. XVIII. v. 10.

Augures.

V. Buch Mosis Cap. XVIII. v. 10.

Vogel-Wahrsager.

G.D. Heüman. sculp.

DEUT. cap. XVIII. v. 11.
Incantatores. Malefici.

V. Buch Mosis Cap. XVIII. v. 11.
Zauberer, Beschwörer.

I. I. Wagner sculp.

inædificantur fulcris, Matheſeos partibus, ad DEI Gloriam, & Societatis humanæ Uſus multiuarios: eæ Scientiæ, quæ *Platoni VII. de Rep.* inſigniuntur juſtiſſimo titulo περοπαιδείας, τῆς καλὰ παίδευσιν ὁδὲ, præinformationis, viæ ad Eruditionem: quæ Xenocrati vocantur λαβαὶ τῆς φιλοσοφίας, anſa Philoſophiæ, *Proclo* κινητικαὶ τῆς γνώσεως, καὶ ἐγερτικαὶ τῆς νοήσεως, καὶ καθαρτικαὶ τῆς διανοίας, καὶ ἐκφαντικαὶ τῶν κατ' ἀσίαν ἡμῖν ὑπαρχόντων εἰδῶν, λήθης τε καὶ ἀγνοίας ἀφαιρετικαὶ, καὶ ἀπολυτικαὶ τῶν ἐκ τῆς ἀλογίας δεσμῶν, quia nempe præ aliis ſcientiis viam ſternunt ad ſolidam Eruditionem, animum excitant, Rationem purgant, præjudicia euerrunt, obſcura explanant, intricata euoluunt, Obliuionem & Ignorantiam fugant, ab errorum vinculis ſoluunt. Fuere equidem, in Romana ſpeciatim Republica, qui hocce *Mathematicorum* titulo, aſſumpto per nefas, & furtim, gloriam ſibi quæſiuere, ſed odium generale reportantes *Aſtrologi*. Quo ſenſu, & optimo quidem jure, *Tacitus Hiſt.* I. *Mathematicos* deſcribit ut *genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in ciuitate noſtra ſemper vetabitur, & ſemper retinebitur.* Et nota in *Corpore Juris* Rubrica *de Maleficis & Mathematicis*, ubi Conſtantii Imperatoris Lex ita ſonat: *Nemo aruſpicem conſulat, aut Mathematicum, nemo Ariolum, Augurum & Vatum praua confeſſio conticeſcat. Chaldæi, ac Magi, & cæteri, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuò diuinandi curioſitas. Etenim ſupplicio capitis ferietur, gladio ultore proſtratus, quicunque juſſis noſtris obſequium denegauerit.* Imo verò fuere, juſtiſſimo Senatus Romani Decreto, hi malarum & perniciosarum artium ſocii exilii pœnâ mulctati teſte *Tacito Annal.* I. De his *Seneca* in ἀποκολοκυνθώσει *Claudiana. Patere Mathematicos aliquando verum dicere, qui illum ex quo Princeps factus eſt omnibus annis, omnibus menſibus afferunt.* Ex *Gellio* L. I. c. 9. euidenter patet, quòd *vulgus Chaldæos* illos Aſtrologos, *Mathematicos dixerit, matti matti* titulo digniores. *Mathematicos* bene diſtinxit à *Mathematicis*, qui ſupra Vulgus, imò Oratores, ſapuit *Cicero de Diuinat. Num cenſes*, inquit, *eos, qui diuinare dicuntur, poſſe reſpondere, Sol majorne quàm Terra ſit? an tantus, quantus videatur? Lunaque ſuo lumine, an Sole utatur? Sunt enim ex Mathematicorum, non Ariolorum.* Judicium *Cicerone dignum*, quo Latiniſſimo Scriptore præeunte potuiſſet utique Latina noſtra adhibere titulum potius *Ariolorum*, quàm *Mathematicorum.* Condono autem facile lapſum hunc optimo viro *Leoni Judæ*, qui eo vixit ſeculo, quo Mathematicæ diſciplinæ languebant ſub Aſtrologorum Jugo. Sed condonare vix poſſum modernis miſomathematicis, qui perſuaſiſſimi licet de nobilitate & latiſſimo Mathematicarum Scientiarum uſu, hasce tamen virgulâ perſtringunt cenſoriâ, & atro irreligionis lapillo damnant, videntes meliora, deteriora ſequentes. Condonabit beneuolus Lector hancce digreſſionem, neque tamen expectabit fortiorem Apologiam; optima vina non opus habent ſuſpenſâ ederâ. Sed neque refutatione dignos exiſtimo Pſeudomathematicos illos ἀσχέμαντας, irriſione digniores, quorum ſcientia, ſi quæ eſt, nullo vel ſtramineo nixa fulcro, dudum Mathematicarum diſciplinarum foro eſt expulſa. Pergo in Virorum à DEO maledictorum Catalogo.

מְנַחֵשׁ *menacheſch*, *Augur*, οἰωνὸς, *der auf Vögel-Geſchrey achtet*, eſt qui vel ex cantu vel volatu Auium futura prædicere temerè audet, vel in rebus obuiis conſilia impertire. Hoc ſenſu ſumuntur Augures, οἰωνίζοντες Græcis atque Romanis, ſummo apud has Nationes honore habiti. Sed videtur Hebrææ vocis originatio digitum intendere potius ad ὀφιομαντείαν, diuinationem ſiue augurium ex Serpentum occurſu vel flexu. נָחָשׁ *nachaſch* enim notat *Serpentem.* Ita *Calchas* apud *Homerum Iliad.* L. II. Trojani Belli octennem durationem prædixiſſe fertur ex obuio ſerpente, qui octo paſſeres una cum Matre deglutiuit. Ominis res plena erat Romanis, ſerpentem videre in Tecto, vel deciduum ex eo. *Terentius* in *Phormione.*

—— monſtra euenerunt mihi:
Introiit in ædes ater alienus Canis:
Anguis per impluuium decidit de tegulis.

Transuerſus item Serpentis per viam ſitus.

Horat. L. III. Od. 27.

Rumpat & Serpens iter inſtitutum,
Si per obliquam ſimilis ſagittæ
Terruit mannos.

Plura de hac re vide in *Bocharti Hieroz.* P. I. L. I. c. 3. Et forſan ab ipſa hac ὀφιομαντεία originem traxit ὀρνιθομαντεία, ὀρνιθοσκοπικὴ, οἰωνισμὸς, exercita quoque Arabibus, Judææ conterminis. Ita *Cicero L. I. de Diuinat. Arabes Auium ſignificationibus plurimum obtemperant, & quod paſtu pecudum maximè utuntur, campos & montes Hyeme & Æſtate peragrantes, propterea facilius cantus Auium & volatus notauerunt.* Et *Philoſtratus* L. I. c. 14. de *Apollonio* in peregrinatione per Arabiam Linguas Brutorum edocto, familiare narrat eſſe Arabibus, ex Auibus veluti viuis oraculis, futura prædicere, τὸ ὀρνίθιον ἀκέειν μαντευομένων (Ἀραβίων) ὁπόσα οἱ χρησμοὶ. Simile teſtimonium legas in *Porphyrio de Abſtin. Anim.* L. III.

מְכַשֵּׁף *mekaſcheph* deriuatur à כָּשַׁף *kaſchaph*, *reuelare, aperire*, notat proin eum, qui quidpiam occulti reuelat, vel prædicit. LXX. hujus farinæ præſtigiatores vocant Φαρμακὲς; præſtigias Φάρμακα. Latina noſtra *maleficos*, vernacula *Zauberer*, quia illi ad occultandas frau-

des magicis utebantur geſtibus, verbis, ceremoniis, in ſocietatis humanæ damnum.

חבר חָבֶר *chober chaber* vi vocis eſt *jungens junctionem, congregans congregationem.* LXX. habent ἐπαοιδὸν ἐπαοιδὴν, Vulgata & Latina noſtra, *Incantator*, vernacula *Beſchweerer*. Hujus commatis Homines Animalia Bruta, Serpentes in ſpecie in certum quendam locum congregare norunt per artes illicitas, & incantamento ſiſtere. Huc pertinet Pſ. LVIII. 6. ubi mentio fit *vocis incantantium, incantatoris artibus Magicis præſtantis. (vocis incantantium & venefici incantantis ſapienter)* R. *Kimchi* in *Lib. Radicum* & ex eo *Michlal Jopbi Artem* hanc faciunt duplicem, *magnam* & *paruam;* illâ majora Bruta, hac minora, Serpentes, Scorpiones, congregari volunt. Ad priorem pertinet, quod legimus de electione Regis Afrorum in *Gingira* apud P. Tellez. L. IV. c. 7. *Vem decendo com grandes gritos ſobre o lugar a onde eſta o eleyto, dam logo com elle, & o acham rodeado de Leœns, Tigres, Cobras & Onc'as, que toda eſta guarda, e todos eſſes Corteſãos ali fazem ajuntar com ſeus diabolicos feytic'os.* Si non & hîc fraus quædam ſubeſt.

שׁאל אוֹב *Shoel ob, interrogans Pythonem, conſulens Pythonem, Wahrſager* vernaculæ noſtræ. Vult *Clericus*, notare אוֹב Genium malum, qui certis Artibus prouocetur & incantetur, ut à mortuis ſciſcitando futura reuelet. Ita Maga illa Endorea vocatur בַּעֲלַת אוֹב *baalath ob, domina ob, habens ob.* Huc pertinet Jeſ. XXIX. 4. *Humilis eris, loquerisque de terra, & de puluere dejecta edes ſermonem tuum, erit enim vox tua velut Pythonis* כְּאוֹב *de terra (loquentis) & de puluere eloquium tuum garriet. (Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum: & erit quaſi pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium muſſitabit)* Unde patet, prouocatos arte Magica Genios locutos aliquando fuiſſe ex terra, quæ νεκυομαντεία eſt. Conſtat id quoque ex Jeſ. VIII. 19. *Sciſcitamini à Pythonicis* אוֹבוֹת *& diuinis, qui muſſitant & diſſertant. (Quærite à Pythonibus, & à diuinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis.)* Ubi LXX. pro אוֹבוֹת habent ἐγγαστριμύθας.

יִדְּעוֹנִי *Jiddeoni* Verſioni noſtræ eſt *Magus, Zeichendeuter*, aliis *præſcius, ſciolus* à יָדַע *ſcire*, qui proin futura præſcire, atque etiam prædicere ſibi audacter præſumit.

דָּרַשׁ אֶל הַמֵּתִים *doreſch el hammethim, à mortuis ſciſcitans, der die Todten fraget*, non tam is eſt, qui ad nutum ſuum habet genium, & hoc internuntio à mortuis futura ſciſcitatur, quàm is, qui mortuos ipſe alloquitur, ab iis arcana ſciſcitaturus. Utriusque ſceleris rea erat illa Endorea.

Auguratum apud Romanos conſtat fuiſſe ſummi Pontificatus partem. Hinc in Nummis præſertim Familiarum *Lituus*, ſiue auguralis baculus, adeò frequens. In Exempla ſint

Fig. A. Tab. 345. *Æmiliæ* Familiæ Numus, in cujus prona Caput *Julii Cæſaris* laureatum & velatum cum Lituo ante caput. CAESAR P. M. DIC. TER. in auerſa Caput *Lepidi* nudum.

Fig. B. 345. Alius ejusdem Familiæ, in cujus una Caput *Lepidi* nudum, in auerſa M. LEPIDUS PONT. MAX. III. VIR. R. P. C. cum ſignis Pontificalibus, Lituo, præfericulo, Simpulo & Cultro.

Fig. C. 345. ex *Minucia*, ubi in prona caput Romæ galeatum. ROMA. in auerſa C. AUG. columna ſtriata, ſupra quam Icuncula inter duas figuras ſtantes, quarum dexterior pileum Libertatis, altera Lituum tenet, hinc & inde ſpica.

TAB. CCCXLVII.

Deut. Cap. XXII. verſ. 8.

Quum extruis Domum nouam, facias Loricam Tecto tuo, ne ponas Sanguinem in domum tuam, quum quispiam caderet ex ea.

Cum ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum: ne effundatur ſanguis in domo tua, & ſis reus, labente alio, & in præceps ruente.

ATtendi heîc meretur, in Architecturæ ciuilis fauorem, Judæorum Tecta, ut ſunt adhuc Orientalium Populorum benè multorum, haud fuiſſe in acumen faſtigiata, ſed plana, ut ſuper iis deambulare potuerint, opus proinde fuerit, circum hæc Tecta circa Loricam extruere muratam, vel ſaltem ambitu clathrato ex Ligno Ferroue munire. Hujusmodi *Peribolum* Textus vocat מַעֲקֶה *maakeh*, LXX. στεφάνην, *coronidem*, Vulgata *murum Tecti*, Latina noſtra *Loricam Tecti*, vernacula *eine Lähne*

um

DEUT. Cap. XXII. v. 8.
Tecta Lorica plana defensa.

V. Buch Mosis Cap. XXII. v. 8.
Dächer mit Zehnen verwahrt.

I. G. Rinz sculps.

DEUT. Cap. XXII. v. 9.
Seminandi modi circa vites.

V. Buch Mosis Cap. XXII. v. 9.
Säungs-Arten bey denen Weinreben.

I. G. Pintz sculps.

um das Dach. Ita intelligi facile poteſt locus Joſ. II. 6. ubi Rahab *exploratores duxiſſe fertur ſurſum ſuper Tectum, abſcondiſſeque ſub cauliculis Lini, qui ſtructi erant ei ſub tecto. (Ipſa autem fecit aſcendere viros in ſolarium domus ſuæ, operuitque eos ſtipula lini, quæ ibi erat.)* 2. Sam. XI. 2. ubi Dauid *deambulaſſe* dicitur *ſuper tectum domus Regiæ, & vidiſſe de tecto lauantem ſe mulierem.* Matth. X. 27. ὃ εἰς τὸ ἓς ἀκούετε, κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων. Tecta hujusmodi plana, δώματα, *Solaria, cœnacula* nuncupata præualuere noſtris. Transigebant ibi non ſolum horas deambulando, ſed Noctes integras dormiendo: *Conſcendebant ſuper tecta* afflicti, ut Eccleſia Jeſ. XXII. 1. Ita Jerem. XLVIII. 38. *In omnibus tectis Moab, & plateis ejus omnibus planctus, quoniam confregi Moab tanquam vas, cui nulla eſt gratia, dicit* DOMINUS. *(Super omnia tecta Moab, & in plateis ejus omnibus planctus: quoniam contriui Moab ſicut vas inutile, ait* DOMINUS.) Habebat quis, quod conuerſetur cum alio, conuenticuli locus erat Tectum. *Samuel vocauit Saulem ſuper Tectum. (Et locutus eſt Samuel cum Saule in ſolario.)* 1. Sam. IX. 25. Qui hujusmodi tectis inſiſtebant, amœno gaudebant proſpectu. Ita *Claudianus* de *Stiliconis* ingreſſu L. II. *Plebe viæ & tecta fuiſſe repleta;* & *Virgilius Æn.* XII.

Inualidosque ſenes turres & tecta domorum
Obſediſſe.

Jer. XIX. 13. de Judæis εἰδωλολάτραις. *Erunt ædes Jeruſalem, & ædes Regum Juda perinde atque locus Topheth, immundæ ſcilicet, cum omnibus domibus, in quarum tectis ſuffitum incenderunt uniuerſæ militiæ cœlorum, libando libamina Diis aliis.* Cujusmodi de Paganis nil legimus. Videntur & tecta fuiſſe Cathedræ, è quibus conciones habuerint ad populum. Huc referunt locum Matth. X. 27. ſupra allegatum. Et lucem fœneratur hæc explicatio Matth. IV. 5. ubi Satanas ſtitiſſe CHRISTUM dicitur ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ. Variis item Locutionibus Sacri Codicis metaphoricis, ut cum Jeſai. XXXVII. 27. impii comparantur *fœno tectorum, quod antequam enaſcatur, plerumque exareat.* Ita Syrus interpres *noctambulones* vocat *filios tecti*, quia noctu è lecto ſurgentes tecta conſcendunt.

TAB. CCCXLVIII.

Deut. Cap. XXII. verſ. 9.

Ne conſeras Vineam tuam diuerſis generibus, ne forte (a) ſanctifices uniuerſum ſemen, quod conſeris, atque vineæ prouentum.

(a) al. prophanes.

Non ſeres vineam tuam altero ſemine; ne & ſementis quam ſeuiſti, & quæ naſcuntur ex vinea, pariter ſanctificentur.

DE hac re imprimis ſe exercuere Doctores Talmudici. En Gloſſas! quas reperias in *Maimonide Hilch Cilajim*, *Jom tobb Hilch Cilajim*, *Jacobi Kapheli Omek halacha.* Quodſi in vinea quadam diſtantia unius Vitis ab altera (Fig. A.) fuerit 4. cubitorum, poſſeſſor autem circa mediam e. g. Vitem coluerit Braſſicam aliudue olus, abominationi fuere vites intra Circulum, cujus Semidiameter fuit 16. cubitorum: intelligunt proin per *uniuerſum ſemen*, ſiue totam plenitudinem, quæ fuerit *ſanctificata* i. e. profanata, non ſolùm ipſa in loco prohibito conſita olera, ſed circumpoſitas vites in Circulo, cujus diameter a. b. eſt 32. cubitorum. Sed mundæ fuerunt c. c. c. vites extra hunc circulum. Prævalet hæc, cui omnes ſubſcribunt ex recutita Gente, explicatio illi *Oſiandri*, qui vult, haud fuiſſe DEO gratas hujusmodi vinearum primitias ſiue Decimas: prætendunt quippe Judæi, haud potuiſſe DEO in ſacrificium offerri quidquam ex hujus generis vineis, imò adeò fuiſſe ſubjectas maledictioni Vites, ut harum Lignum ne quidem ad uſum foci adhiberi potuerit. Poterant adhuc illi diuerſi generis Plantis, de quibus Leuit. XXIX. 19. nutrire ſaltem jumenta ſeu pecora, licet earum eſus fuerit Hominibus prohibitus, ſed de vineis, de quibus nunc, ne in Brutorum quidem alimoniam poterat transire quidquam. Quodſi fortè lubuit Judæis, vineas diuerſis conſerere Plantis, ſeligere poterant (Fig. B.) ubi voluerint cunque in Vinea Aream quadratam, in ea ſemina condere olerum, ſed circumcirca intra diſtantiam 4. cubitorum non licebat vitem ullam ponere: vel & licuit Hortum quendam ſiue Agrum vitibus cingere, ſed interuallo præmemorato. Legatur *Theod. Daſſouius de modis ſeminandi diuerſa ſemina Hebræorum.*

Th. XII. De uſu abuſuue Phyſico aliâs: myſticum aliis linquo.

TAB. CCCXLIX.

Deut. Cap. XXII. verſ. 10.

Non arabis cum Boue & Aſino ſimul. Non arabis in Boue ſimul & aſino.

ADhibitos quoque fuiſſe Aratro *Aſinos* conſtat vel ex Textu: & Jeſ. XXX. 24. *Tauri quoque & pulli* (Aſini), *qui terram colunt, farraginem ſapidiſſimam comedent. (Et tauri tui, & pulli aſinorum, qui operantur terram, commiſtum migma comedent.)* Et XXXII. 20. *O vos felices, qui ad omnes Aquas ſeretis, immittentes pedem Bouis & Aſini.* Idem teſtatur *Joſephus contra Apion.* L. II. *Varro* item *de Re Ruſt.* L. II. c. 6. VIII. c. 1. *Campaniam, Bæticam* & *Lybiam* in Exempla allegans, ubi nempe locorum Terra eſt friabilis, ſequax, ſubactu facilis. Quin imò dari poſſunt Agri, adeo mollis & friabilis texturæ, ubi Boues arationi ſunt inidonei, nimio ſuo pondere deſidentes. Plin. L. XVII. c. 5. *In Byzacio Africæ* (à quo Blattæ illæ Byzantinæ dictæ, aliàs Ungues odorati, de quibus ad Exod. XXX. 34. nomen habent, non à Byzantio) *illum centena & quinquagena fruge fertilem campum nullis, cum ſiccus eſt, arabilem Tauris, poſt imbres, vili aſello, & à parte altera jugi anu vomerem trahente, vidimus ſcindi.* In noſtris contra Terris Helueticis compactioribus, lutoſis, vel glareoſis, Bobus opus eſt, & Equis, & viris, non Aſinis & Anubus.

De Legis hujus cauſa & Scopo non eſt omnibus ſententia eadem. Sunt, qui homogeneitatem obſeruandam volunt, & Legem ad omnia heterogenea Animalia extendunt, ut *Jonathan* in *Paraphraſi*, *Joſeph. Ant.* L. IV. c. 8. R. *Selomo*. Alii Societatem Bouis & Aſini abominationi eſſe volunt, quòd ille mundus ſit, hic immundus. Ita R. *Bambam Tract. de heterogeneis* c. 9. *ſect.* 7. Addit R. *Iſaac in Columnis Exilii Præcept.* 168. ἐξηγήσεως loco, euitandam piis eſſe communionem cum impiis, quò & tendere volunt alii monitum illud Paulinum 2. Cor. VI. 14. Μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες τοῖς ἀπίστοις. Ubi obſeruandum, in ipſo noſtro Textu LXX. vocem כלאים *cilajim* reddidiſſe etiam per ἑτεροζυγα. Hac proin ſymbolica Lege dicunt prohibitam eſſe communionem Judæorum cum Gentibus in Veteri Teſtamento, in Nouo piorum cum impiis. Placet hæc ſententia *Bocharto Hieroz.* P. I. L. II. c. 13. *Cierico*, pluribus Theologis.

Quodſi fides eſt *Baal Hatturim*, latet heic ſubtilis quædam Logica Aſinina. Nam ecce ſyllogiſtizantem Aſinum! Videt is Bouem diu ruminantem, credit ſemper de nouo mandu-

cantem, ingemiſcit, ſortem ſuam deplorat, duri laboris ſocius, ſed pauci cibi particeps. Phyſicæ magis, & per conſequens & noſtræ conſiderationis eſt, quod Abenezra vult, non σύζυγα eſſe debere inæqualis roboris Animantia, Bouem & Aſinum. Pertinent huc Euclionis illa in *Aululari Plauti* Act. 2. *Scen.* 2.

Venit hoc mihi in mentem Megadore, te eſſe hominem diuitem,
Factioſum, me item eſſe hominum pauperum pauperrimum,
Nunc ſi filiam locaſſim meam tibi, in mentem venit
Te Bouem eſſe, & me eſſe Aſellum, ubi tecum conjunctus ſiem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego Aſinus in luto:
Tu me Bos magis haud reſpicias, gnatus quaſi nunquam ſiem,
Et te utar iniquiore, & meus me ordo irrideat.
Neutrubi habeam ſtabile ſtabulum, ſi quid diuortii fuat:
Aſini me mordicitus ſcindant, Boues incurſent cornibus.
Hoc magnum eſt periculum, me ab Aſinis ad Boues tranſcendere.

Quæ item extant in *Anthol.* L. I. c. 33. de Aſino & Equo:

Τίτε τὸν ὀγκιςὴν βραδύπεν ὄνον ἀμμιγ' ἐν ἵπποις
Γυρὸν ἀλωεινᾶις ἐξελάατε δρόμον;

Cur ubi flauentes diues terit area culmos,
Jungitur alipedi tardus Aſellus Equo?

Et quæ *Paulinus* ad *Auſonium:*

Diſcuſſiſſe jugum quereris me, quo tibi doctis
Junctus eram ſtudiis. Hoc ne geſtaſſe quidem me
Aſſero, namque pares ſubeunt juga. Nemo valentes
Copulat infirmis, neque ſunt concordia fræna,
Si ſit compulſis menſura jugalibus impar.
Si Vitulum Tauro, vel Equum committis Onagro.

Poſtu-

DEUT Cap. XXII. v. 10.
Ομοζυγία injuncta.

V. Buch Mosis Cap. XXII. v. 10.
Ackern unter gleichem Joch.

I. G. Pintz sculps.

DEUT. Cap. XXII. v. 13 - 21.
Virginitas defensa.

V. Buch Mosis Cap. XXII. v. 13 - 21.
Vertheidigte Jungfrauschafft.

H. Sperling sculps.

DEUT. Cap. XXII. v. 20. 21.
Poena Vitæ diſsolutæ.

V. Buch Moſis Cap. XXII. v. 20. 21.
Beſtraffte Leichtfertigkeiten.

M. Tyroff sculps.

Poſtulant id & Leges Motus, ut eidem oneri ſeu ponderi ſubmittantur Animalia ejusdem roboris; Hinc ſubjugat *Homerus Odyſſ. σ.* Boues ἰσοφόρες, id eſt, ex mente Scholiaſtæ, ἴσως φέροντας καὶ ἕλκοντας. Et *Palladius* L. IV. *Illud ante uniuerſa curandum eſt, ut viribus ad trahendum* (Boues) *comparentur æquales, ne valentioris robur alteri procuret exitium.*

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juuenci?

Ouid.

TAB. CCCL. CCCLI.

Deut. Cap. XXII. verſ. 13 - 21.

13. Si quispiam uxorem duxerit, acceſſeritque ad eam, & odiſſe eam cœperit,
14. Obtruſeritque ei technas verborum, diuulgans de ea famam malam, ut ſi dicat, duxi hanc mulierem, & quum eſſem ad eam ingreſſus, non inueni in ea ſigna Virginitatis.
15. Tollent pater puellæ & mater ejus, & proferent ſigna Virginitatis puellæ ad ſeniores Ciuitatis, qui ſunt in Porta.
16. Dicetque Pater Puellæ ad Seniores: Hanc filiam meam dederam viro uxorem, cœpitque eam odiſſe.
17. Et en, obtrudit ei commenta Verborum, & dicit, non inueni in filia tua Virginitates, hæc verò ſunt ſigna Virginitatis filiæ meæ, & expandent Veſtimentum coram Senioribus ciuitatis.
18. Tollentque Seniores Ciuitatis illius virum illum, & caſtigabunt eum.
19. Damnabuntque eum centum (Siclis) Argenti, quos dabunt Patri puellæ, eò quod ſparſit famam malam de virgine Iſraelitica, habebitque is eam in Uxorem, nec poterit eam dimittere cunctis diebus ſuis.
20. Quodſi verum eſt Verbum illud, & ſigna Virginitatis in puella non fuerint inuenta:

13. Si duxerit vir uxorem, & poſtea odio habuerit eam:
14. Quæſieritque occaſiones quibus dimittat eam, objiciens ei nomen peſſimum, & dixerit: Uxorem hanc accepi, & ingreſſus ad eam, non inueni Virginem:
15. Tollent eam pater & mater ejus, & ferent ſecum ſigna virginitatis ejus ad ſeniores urbis, qui in Porta ſunt.
16. Et dicet Pater: Filiam meam dedi huic uxorem: quam quia odit,
17. Imponit ei nomen peſſimum, ut dicat: Non inueni filiam tuam Virginem: & ecce hæc ſunt ſigna Virginitatis filiæ meæ: expandent veſtimentum coram ſenioribus ciuitatis.
18. Apprehendentque ſenes urbis illius virum, & verberabunt illum.
19. Condemnantes inſuper centum ſiclis argenti, quos dabit patri puellæ, quoniam diffamauit nomen peſſimum ſuper virginem Iſrael: habebitque eam uxorem, & non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ ſuæ.
20. Quod ſi verum eſt quod objicit, & non eſt in puella inuenta virginitas:

21. Ducent puellam ad oſtium domus Patris ſui, obruentque eam ciues illius ciuitatis lapidibus, ut moriatur, quia facit nephas in Iſrael, ſcortando in domo patris ſui, & exures malum è medio tui.

21. Ejicient eam extra fores domus patris ſui, & lapidibus obruent viri ciuitatis illius, & morietur: quoniam fecit nefas in Iſrael, ut fornicaretur in domo patris ſui: & auferes malum de medio tui.

SUnt heîc res ad Judæorum Jus tum Matrimoniale, tum Criminale, pertinentes, quas Juris utriusque, ſiue etiam Canonici & Ciuilis conſultis lubens linquo. Præſtolabitur abs me Lector explanationem *ſignorum Virginitatis*, vel *Virginitatum*, בְּתוּלִים *bethulim*, quæ Judæi tum Hiſpani tum Luſitani vocant *eſcoſſedades*, ſigna Dolorum, excipienda olim & aſſeruanda in Linteo albo puro: Originalis Textus habet הַשִּׂמְלָה, Græci ἱμάτιον, hinc & Vulgata, atque Tigurinæ ambæ *Veſtimentum, die Kleider*, LXX. ἐκμαγεῖον. *Iſidorus Philoſophus* citante *Photio*, Φυλακεῖα οἱ Ἀλεξανδρεῖς ἐκάλεν τὰ ἐκμαγεῖα τῶν γυναικείων μολυσμῶν. Judæi Hiſpani *la Sauana*, virgini in prima copula ſupponi ſolitum. Judæos Interpretes ſi conſulamus de tenore hujus Legis, videbimus ſpectaſſe ſolas unius diei atque duodecim annorum virgines ad usque Annos duodecim cum dimidio; non, quæ adultioris fuere ætatis; non doloſis perſuaſionibus circumuentas, non vi ſuppreſſas, non alienigenas: non eas, quibus 50. ſiclorum dos haud fuit extradita; non quæ ante ſponſalia, ſiue matrimonialia Pacta fuere defloratæ. Ejus proin fuit ſeuera hæc primo intuitu Lex conditionis, ut arctis limitibus clauſa euitari potuerit facile. Quæ ſeu Traditiones ſeu Exegeſes viam pandunt Anatomico ad Ætiologiam. Facile quippe concipere licet, & dolores parere primum cum Virgine adeo teneræ Ætatis, qua in Oriente Matrimonia fuere, & ſunt adhuc, familiaria, concubitum, & prolicere Sanguinem ex dilatatis vaginæ oſculis. Audiamus teſtimonium de Muhamedanis Afris *Joh. Leonis Deſcript. Afric.* L. III. *Apparatur conuiuium, & fœmina quædam pro foribus expectat, donec deuirginata ſponſa hic linteolum ſanguine tinctum illi porrigat, quod manu geſtans hoſpitibus oſtendit, alta voce clamans, virginem hactenus incorruptam fuiſſe. Hanc cum aliis quibusdam fœminis primo ſponſi, deinde ſponſæ quoque Parentes excipiunt ſplendidè. Quod ſi fortaſſe non Virginem fuiſſe reperiatur, mox maximo omnium dedecore nuptiisque infectis ad Parentes relegatur.* Concilianda ſanè haud difficulter hæc Judæis præſcripta Lex cum Naturæ Legibus, ſi ſolas tangat 12. annorum ſponſas, ſed difficulter admodum, ſi omnes alias, cujuscunque fuerint Ætatis, vel Temperamenti. Ad Fabulas relegari *Hymen* notum, & Virginitatis ſigna indubia haud dari. Videantur pluribus *Franc. Valles. Sacr. Philoſ.* c. 25. *Marc. Donatus de Medicæ Hiſt. mirabili* L. IV. c. 15. *Alberic. Gentilis de Nupt.* L. VII. c. 9. *Joubertus de errorib. vulgi* L. V. c. 4. *Paul. Zacchias Quæſt. Med. Legal.* L. III. Tit. 2. *quæſt.* 1. *Seuerinus Pinæus de Virginit. notis* L. I. *Joh. Beuerouicius Epiſtol. Quæſt. Spencer. Uxor. Hebr.* L. III. c. 1. p. 227. *de Mey Phyſiolog. ſacr.* p. 216. alii. Qui omnes omninò ſine diſcrimine Virgines huic ſubmittit Legi, juniores, adultas, macilentas, obeſas, bilioſas, ſanguineas, pituitoſas, ſanas, ægras, cacochymicas, is neceſſe habet, vel propriam illam ſtatuere Judaicæ Nationi, vel difficultatibus ſe implicare tantùm non inſolubilibus. Neque forſan erit extra rhombum, ſtatuere, ſi limitata illa Judæorum minus arrideat Problematis ardui ſolutio, primarium Legislatoris ſcopum fuiſſe vitæ caſtæ perſuaſorium, diſſolutæ dehortatorium. Dum autem de Iconibus rem hanc illuſtraturis meditor, conſultum duco Hiſtoricum potius agere, quàm Anatomicum, conſultum, ut heic, ita & alibi, obſcœnis omnibus cogitationibus, ad quas

laſciua caro aliâs prona
eſt, præſcindere
viam.

DEUT. Cap. XXVIII. v. 21. 22.
Poenæ peccatoribus dignæ.

V. Buch Mosis Cap. XXVIII. v. 21. 22.
Wohlverdiente Sünden-Plagen.

M. Tyroff sculps.

TAB. CCCLII.

Deut. Cap. XXVIII. verſ. 21. 22.

21. Adhæreſcere faciet tibi DOMINUS Peſtem, donec conſumat te de ſuperficie Terræ, in quam tu venis, ut eam poſſideas.
22. Percutiet te DOMINUS Tumore, Ardore, Inflammatione, Æſtu conſumente, Siccitate, Rubigine(a), Aurigine (b), & inſequentur te, donec pereas.

(a) Peſtis eſt frugum, quam alii Uredinem, alii Carbunculum nominant.
(b) Alii legunt Pallore, alii Ærugine.

21. Adjungat tibi DOMINUS peſtilentiam, donec conſumat te de Terra, ad quam ingrederis poſſidendam.
22. Percutiat te DOMINUS egeſtate, febri & frigore, ardore & æſtu, & aëre corrupto ac rubigine, & perſequatur, donec pereas.

DEUM Moſes ut heîc, ita & alibi, proponit omnis in Natura Motus, omnis in Humano Corpore, Authorem unicum, ne fortè Iſraelitis naſcatur ſuſpicio, ab hæreſi haud aliena, induci morbos vel caſu vel fatali neceſſitate: *Adhæreſcere faciet tibi DOMINUS Peſtem*, morbum, qui præ aliis omnibus ſubitaneo inſultu, crudeli raptu, copiosâ ſtrage, & prompta diffuſione Humanæ eſt Societati infauſtus, θεῖόν τι ex ſententia ipſorum Gentilium ſecum ferens, impenetrabile hactenus DEI flagrum, adeò in ſuis minimis particellis, ſeu animatis, ſeu inanimatis, ſubtile, ut omnem hactenus effugerit Lynceorum Medicorum aciem. Et non ſine ἐμφάσει Moſes infit, *adhæreſcere* hunc Morbum; Experientiâ ſane teſte nouimus, adhæreſcere corpuſcula peſtifera ita Lanæ, Lino, pelliciis, cannabi, plumis, ut hujusmodi corporum vehiculo facilè perniciosiſſimus hic Morbus transferatur ex uno loco in alium.

Exprimunt Morbi omnes v. 22. nominati Ardorem exquiſitum, vel Æſtum comitem.

שַׁחֶפֶת *Schachepheth* in utraque Verſione noſtra eſt *Tumor, Geſchwulſt.* Sed non ſunt Judæi Doctores concordes circa Speciem. R. *Selomo* & *Dauid de Pomis* volunt intumeſcentiam totius Corporis, ſpeciatim Tumores pugni vel pomi magnitudine ſurgentes, per quos commodè intelligimus *Anthraces* ardentes, ſiue *Bubones* peſtilentiales. In oppoſitam plagam ſe vertit R. *Jonas* teſte *Kimchio* in *Lexico*, intelligens marceſcentem ſeu tabem totius corporis, unde & *Bochart Hieroz.* P. II. L. II. c. 18. vertit *Phthiſin*, LXX. ἀπορίαν, i. e. ἀτροφίαν, ut legit *Bochartus*, *Hieronymus Egeſtatem.*

קַדַּחַת nobis *Ardor, Fieber.*

דַּלֶּקֶת *dalleketh, inflammatio, Hitz.*

חַרְחֻר *Charchyr, æſtus conſumens, Brand,* ἐρεθισμὸς, *Ardor.*

חֲרֶב *Chereb, ſiccitas, ardor, Brunſt,* φόνος.

שִׁדָּפוֹן *Schiddaphon, Rubigo, Dürre,* ανεμοφθορία, *Aer corruptus.*

Quæ nomina omnia manifeſtè ſatis indicant vel totidem Febrium acutarum ſpecies, gradusue ad peracutas ſurgentes, vel variantia ejusdem Morbi Symptomata, ut ſanè obuia ſunt vel in Peſte, vel etiam Febribus Petechialibus, quæ pro fomite agnoſcunt inſignem acrimoniam, ſæpe viſcoſitati junctam, corrodendo urentes dolores cauſantem, vel & talem ſeu coagulationem, ſeu condenſationem, quæ circulum ſanguinis per extrema impedit.

יֶרָקוֹן *jerakon*, nobis *Aurigo, Bleiche*, LXX. ὠχρος, Vulgatæ *Rubigo*, denotare poteſt *Icterum.*

Deut. Cap. XXVIII. verſ. 23.

Erunt tibi Cœli ſuper caput tuum ærei, & Tellus, quæ ſub te eſt, ferrea.

Sit cœlum, quod ſupra te eſt, æneum: & terra, quam calcas, ferrea.

ITa & Leuit. XXVI. 19. *Faciam Cœlum veſtrum veluti Ferreum, & Terram veſtram veluti Æs. (Dabo vobis cœlum deſuper ſicut ferrum, & terram æneam.)* Non Naturæ Idolum vix obſcuro nomine notum, ſed EGO, Creator æternus & omnipotens, Conſeruator omnium rerum omniſapiens, Naturæ & uniuerſi DOMINUS, à meo liberrimo arbitrio dependens, per me ipſum exiſtens, *EGO faciam cœlos ſuper caput tuum*, cœlum nempe æreum, quod vobis mortalibus creaui utiliſſimum ſimul & neceſſarium, vitæ veſtræ ratione Grauitatis, Raritatis, Elaſticitatis, Caloris, aliarumue proprietatum præciſiſſimè adæquatum, promptuarium vaporibus aqueis diues, Plantis veſtris & Animalibus cedens in ſolatium & nutrimentum. *Cœlum* hocce, Atmoſphæram hanc, *faciam veluti Ferrum, & Terram veſtram veluti Æs.* Tunc nempe, ſi, quod legitur 1. Reg. XVII. 1. *non fuerit* per annum, vel annos, *ros vel Pluuia*, Vegetabilia proin areſcent, ſiccabuntur Fontes, Homines & Animantia ſiti marceſcent, Terra indurabitur ita, ut culturæ fiat inepta; ut nouimus, quotannis in Climatibus illis Zonæ Torridæ calidiſſimis ita Terram menſibus æſtiuis à continuato Solis æſtu exiccari, ut coli non poſſet, niſi, prouidente DEO, ante, menſibus nempe hybernis, ſiue humidis, à continuis ibi Imbribus fuiſſet humectata.

Deut. Cap. XXVIII. verſ. 24.

Dabit DOMINUS Terræ tuæ pro Pluuia Arenam & Puluerem, de Cœlis deſcendet ſuper te, donec fueris deletus.

Det DOMINUS Imbrem terræ tuæ puluerem, & de cœlo deſcendat ſuper te cinis, donec conteraris.

COelum licet ſit *Ferrum* & *Æs*, ſpirabunt tamen *Venti*, ſed tibi, rebellis Natio, noxii: Qui juxta ordinarium Naturæ curſum, dirigente ita Authore Naturæ, colligunt Vapores aqueos in Nubes, hasque ab una Regione deportant in alias, & hîc ibi Pluuiæ forma præcipitant, aſportabunt *Arenam & Puluerem.* In teſtes voco, qui per Arabiæ Deſerta Iter facientes ab hujusmodi pluuiis ſiccis ſiue arenoſis non minus ſuſtinent periculi, quam qui in Oceano nauigant à ſpumoſis Fluctuum undis, imò haud rarò Arena obtecti ſepeliuntur viui. Vid. *Theuenot* voy. P.I. L.II. c.80. Ita in Mari veluti arenoſo *delentur* Homines & Animantia Bruta: Accedit Raritas Aeris nimia, Reſpirationi inepta, qua ſuffocantur: Tranſpiratio nimia, qua conſumuntur, auolantibus partibus Sanguinis ſubtilioribus, condenſato reſiduo.

Deut. Cap. XXVIII. verſ. 27.

Percutiet quoque Te DOMINUS Ulcere Ægyptiaco, Ficu, Scabie fluida, & Scabie ſicca, ita ut ſanari non poſſis.

Percutiat te Dominus ulcere Ægypti, & partem corporis, per quam ſtercora egeruntur, ſcabie quoque & prurigine: ita ut curari nequeas.

REdimus ad Morbos. שְׁחִין *Schechin* reddimus Nos *Ulcus*, *Drüſen: Clericus Inflammatio*, à Radice שָׁחַן *Schechan*, *calere.* Ad eundem ſcopum collimat Interpretatio. Calet prius vel inflammatur locus Apoſtemate ſiue Furunculo affectus, quàm maturatur, ſiue in Ulcus abit congeſta materia. *Theuenotio* teſte, Ægyptii Nilo incrementa capiente affici ſolent effloreſcentia Cutis dolorosa valde, acribus nempe particulis ad Cutim extre-

DEUT. Cap. XXVIII. v. 38. 39-42.
Insecta Regioni infesta.

V. Buch Mosis Cap. XXVIII. v. 38. 39-42.
Land-verderbliche Ungeziefer.

M. Tyroff sculps.

extremam ductis, ejusque canaliculos extimos & poros acicularum inſtar erodentibus & perforantibus. Cujusmodi fortè quidpiam heic ex *Clerici* mente intelligi debet. Occurrit idem vocabulum שְׁחִין inter Ægypti Plagas.

עְפֹלִים *epholim*, nobis *Ficus*, *Feigwartzen*, aliis *Hæmorrhoides Ani*.

עֳרָב nobis *Scabies fluida*, *Grind*.

חָרֶס *Chares*, *Scabies ſicca*, *Raud*.

Deut. Cap. XXVIII. verſ. 35.

Percutiet te DOMINUS ulcere noxio in genubus & cruribus, quod curari haudquaquam poterit à Planta Pedis tui usque in verticem tuum.

Percutiat te Dominus ulcere peſſimo in genibus & in ſuris, ſanarique non poſſis à planta pedis usque ad verticem tuum.

VEniunt heic rurſum שְׁחִין nomine *Ulcera* Cacoethea, Ægyptiorum illis ſimilia, quorum meminit *Theuenot* l. ſupra citato.

Deut. Cap. XXVIII. verſ. 65.

Et apud Gentes hujusmodi requiem non inuenies, neque erit, quo Plantam pedis tui colloces: & dabit tibi DOMINUS cor palpitans, conſumptionem oculorum, & mœrorem Animi.

In gentibus quoque illis non quieſces, neque erit requies veſtigio pedis tui: dabit enim tibi DOMINUS ibi cor pauidum, & deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore.

QUid mirum, ſi, qui conſumitur Triſtitia, incidat & in *conſumptionem oculorum* כְּלִיוֹן עֵינַיִם, Oculorum atrophiam? Minor eſt in omni Triſtitia ſanguinis ex corde expulſio, debilior tantò, ſi jungamus retropreſſo veluti ab extremis cruori ejusdem denſitatem atque viſciditatem, Melancholicis familiarem. Rota hæc Corporis primaria Cor, ſi tot reſiſtentias ſuperare nequeat, corpus totum collabatur veluti neceſſe eſt. Et Neruo ſpeciatim pathetico adſcribi debet, quòd hunc, de quo nunc, Affectum in Oculis videamus veluti in ſpeculo.

TAB. CCCLIII.

Deut. Cap. XXVIII. verſ. 38. 39. 42.

38. Multum ſeminis proferes in agrum, parum colliges, vaſtabit illud Locuſta.
39. Vineas plantabis & coles, ſed Vinum non bibes, neque colliges, eo quod Vermis ſit illud abſumpturus.
42. Omnes Arbores has, & fructus Terræ tuæ perdet (a) Ærugo.

(a) Zilzal Græci eryſibe transtulerunt, quod Theophraſtus æruginem interpretatur, vitium eſt ſegetum, aliis magis placet rubigo vel robigo. Quidam genus Locuſtæ dicunt Zilzal.

38. Sementem multam jacies in terram, & modicum congregabis: quia Locuſtæ deuorabunt omnia.
39. Vineam plantabis & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam: quoniam vaſtabitur vermibus.
42. Omnes arbores tuas & Fruges Terræ tuæ rubigo conſumet.

DE *Locuſtis*, formidabili DEI Exercitu, earumque damnis alibi plura. Differunt à Plantarum vermibus, quòd aliunde Arboribus & Segetibus inuolent, dum hi Plantis ipſis innaſcuntur, & plerique quidem, de *Erucis* in ſpecie loquor, quæ mirum in modum differunt, certo duntaxat Plantarum genere veſcantur, patrii cibi auidi. v. 39. memorantur *Vitium vermes*, quos Græci vocant ἴπας vel ἴκας à ſingulari ἴψ vel ἴξ. Hi *Theophraſto* teſte *de cauſ.* L. III. c. 27. auſtro potiſſimùm flante gignuntur, vel ſi lenes ſpirant venti, loco neque humido nec pingui; & oculos inprimis abſumunt. *Ammonius Libello de ſimilibus*: ἴκες, τὰ διεφθίοντα τὰς ὀφθαλμὰς τῶν ἀμπέλων. Ἀλκμὰν, Ποικίλον ἴκα, τῶν ὀφθαλμῶν ἀμπέλων ὀλετῆρα. *Ikes dicuntur Animalcula, quæ oculos vitium comedunt.* Alcman. *Varium* Ikem *vitis oculorum perditorem.* Latinis hic Vermis *Inuoluolus* dicitur & *Conuoluolus*, & *Voluox*. *Plautus Ciſtellar. Act.* IV. *Scen.* 2.

LA. Imitatur nequam beſtiam, & damnificam.
Ph. Sed quamnam amabo?
LA. Inuoluolum, quæ in Pampini folio intorta implicat ſeſe.

En proin & rationem nominis! Sed quæ Inſectis benè multis aliis eſt communis, utpote quæ vel deficiente alimento, vel Hyeme appropinquante ſeſe foliis inuoluunt, Hybernacula ibi transactura. Planum ſanè hinc, Vitis Vermem, ἴπα, ἴκα, Inuoluolum, pertinere ad Erucas. Licitum proin, eas heic ſiſtere, quæ Vitis vel gemmis, vel foliis veſcuntur.

Fig. A. exhibet Erucam, Chryalidem & Papilionem Viti inſidentes ex *Merianæ Surinaamſche Inſect.* p. 34.

Fig. B. ex *Gœdart Hiſt. des Inſect.* T. II. p. 112.

Fig. C. aliam ex *Gœdart.* T. I. p. 56. quæ nutritur viti ſylueſtri.

Conf. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 27.

Vel ex Latinæ noſtræ Gloſſis videre eſt צְלָצַל *Tſelatſal.* v. 42. variam admittere interpretationem. Græci habent ἐρυσίβη, Vulgata *Rubigo*, Latina noſtra *Ærugo*, vernacula *Röthe.* Sed Hebræis omnibus, *Onkeloſo* & Arabi *Erpeniano* placet *Locuſta*, quam propter alarum ſtrepitum deriuant à צָלַל *tſalal*, *tinnire*, *Bochartus Hieroz.* P. II. L IV. c. 1. potius à *tſalal*, *obumbrare*, quia Solem Locuſtæ obumbrant.

TAB. CCCLIV.

Deut. Cap. XXVIII. verſ. 49.

Excitabit contra te DOMINUS Gentem è longinquo ab extremitate Terræ, quæ inuolabit ut Aquila, Gentem, cujus Linguam tu non capies.

Adducet Dominus ſuper te Gentem de longinquo, & de extremis Terræ finibus, in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu: cujus Linguam intelligere non poſſis.

ALas habet *Aquila* fortes, expanſas, ingenti Muſculorum, inprimis Pectoralium, robore nixas, quibus rapidiſſimè fertur, & cum impetu, maxime ſi in prædam ruat: *fulminis vice*, ut ſcribit *Apulejus* Lib. I. *Floridor.* Hinc eſt, quòd *Aquilonem* Ventum appellari vult *Feſtus* à *vehementiſſimo volatu ad inſtar Aquilæ*, & Aquilam ipſam Græci ἀετὸν ἀπὸ τῆ ἀΐσσειν, *cum impetu ferri, irruere*, plerique deriuant, alii ab עִיט *ajit*, quod & ipſum deſcendit ab חָעִיט *heit*, *inuolare*, *irruere.* Hinc eſt, quod in Textu, & alibi velocitas & impetus eorum, qui ad pugnam ruunt, conferatur cum Aquilis, iisque ad prædam inuolantibus. Græci heic habent ὡσεὶ ὄρμημα ἀετῦ. Et Iliad. Φ'. v. 252. *Achilles* in Trojanos irruens ab *Homero* deſcribitur, ὠϊστῦ ὁίματ' ἔχων, *Aquilæ impetus habens.* Ὅιματα enim Scholiaſti ſunt ὁρμήματα. Hinc eſt, quod *Saul* & *Jonathan* viri pugnaciſſimi Dauidi vocentur Aquilis velociores. 2. Sam. I. 23. De Chaldæis Jeremias. IV. 13. quòd *Equi* eorum *Aquilis* ſint *celeriores.* Idem de illorum Rege XLVIII. 40. *Ecce inuolabit veluti Aquila, & expandet alas ſuas ſuper Moab.* XLIX. 22. *Ecce ſicut Aquila aſcendet, inuolabit & expandet alas ſuas ſuper Bozram.* Thren. IV. 19. *Velociores fuerunt perſequutores noſtri Aquilis cœli. Boch. Hieroz.* P. II. L. II. c. 2.

TAB.

DEUT. Cap. XXVIII. v. 49.
Exercitus irruentes.

V. Buch Mosis Cap. XXVIII. v. 49.
Ein wie Adler einfallendes Kriegs-Heer.

I.G.Puntz sculp.

DEUT. Cap. XXIX. v. 18.
Absinthium Calamitatis Symbolum.

V. Buch Mosis Cap. XXIX. v. 18.
Wermuth ein Trübsals-Bild.

I.G.Pintz sculps.

DEUT. Cap. XXXII. v. 2.
Ros, ſtilla et Imber.

V. Buch Moſis Cap. XXXII. v. 2.
Thau und Regen.

I.G.Pintz sculps.

TAB. CCCLV.

Deut. Cap. XXIX. verſ. 18.

Ne forte ſit in vobis Vir aut mulier, familia aut Tribus aliqua, cujus cor ſe auertat hodie à DOMINO DEO veſtro, ut abeat & ſeruiat Diis Gentium illarum, & ne fortè ſit in vobis radix germinans fel & Abſinthium.

Ne forte ſit inter vos vir aut mulier, familia aut Tribus, cujus cor auerſum eſt hodie à Domino Deo noſtro: ut vadat & ſeruiat Diis illarum Gentium, & ſit inter vos radix germinans fel & amaritudinem.

JUngitur aliquoties *Fel abſinthio* in Sacris. Jer. IX. 15. XXXIII. 15. *Ego cibabo populum iſtum Abſinthio, potaboque eos Aquis fellinis.* Thren. III. 15. *Recordando afflictionis meæ, & rebellionis meæ, Abſinthii & Fellis.* Amos VI. 12. *Quandoquidem judicium in fel, & fructum Juſtitiæ in Abſinthium vertiſtis.* Notum in Medicorum Scholis, eſſe *Bilem* Fluidum nobiliſſimo dicatum uſui, *Abſinthium* Herbam præſtantiſſimam, Ventriculo inprimis amicam. Verùm enim verò docet nos & copula illa, & ſubſtrata in Locis citatis materia, ſumi & Fel & Abſinthium pro Symbolo Afflictionis, Doctrinæ falſæ; Injuſtitiæ. Alluſionis fundamentum latet in amarore guſtui ingrato; & hic ipſe in vocis לַעֲנָה *labanah*, quæ *Abſinthium* notat, originatione, ſiue eam deriues ex ל præpoſitione & עָנָה cognato vocum עָנִי & עָנָה, quæ afflictionem & moleſtiam denotant, ſiue ex Arabico *labana* abegit, procul eſſe juſſit, auerſatus, abominatus eſt. Conſtat ex *Pierii Hieroglyphicis*, fuiſſe Abſinthium funebrem herbam, proin in Cœmiteriis plantatam. Eſt autem Abſinthium Orienti familiare. Offerunt Botanici *Abſinthium Santonicum Alexandrinum* C. B. quod *Lumbricorum* eſt ſemen *Matthioli* I. B. v. Fig. A. item *Abſinthium Santonicum Judaicum* C. B. *Lumbricorum ſemen Raurvolffio.* I. B. quod Arabes *Scheha* vocant, ut apud nos *Abſinthium vulgare majus* I. B. *Ponticum ſeu Romanum Officinarum ſiue Dioſcoridis* C. B. Fig. B. Characteres autem omni Abſinthio communes ſiſtuntur ad marginem inferiorem Fig. C.

TAB. CCCLVI.

Deut. Cap. XXXII. verſ. 2.

Stillabit veluti pluuia doctrina mea, fluet ut Ros eloquium meum, ſicut Imber pluuius ſuper Herbam, & ſicut Stillæ ſuper Plantulas.

Concreſcat in pluuiam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quaſi Imber ſuper Herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina.

GRatius nihil eſt Homini & Brutis Animantibus, Æſtu languidis, copioſam perpeſſis Tranſpirationem, potu frigidæ, qui reſtauret particulas fluidi deperditas: quem ipſum in finem, optimo Creatore id ita ordinante, Animata corpora afficit Sitis, ut ea mediante ſtructura maneat ſalua & ſana: Obtigit eadem ſors Plantis: patiuntur & hæ conſtantem particularum fluidarum, aquearum, διαπνοὴν, quæ reſarciri neceſſariò debent. Hunc ipſum in finem Sapientiſſimus Conditor largitur Pluuiam & Rorem. Quærunt illa, vel apportari jubent, mobilia de loco in locum, gradientia, volantia, ſerpentia, humidum ſibi neceſſarium. Aſt Vegetabilibus, quia eodem ſemper hærent fixa loco, prouidere voluit DEUS beneficio, quod ipſum eſt mobile, eaque irrigat. Beneficium id eſt utiliſſimum inprimis, & neceſſarium, in Climatibus illis Orientis calidioribus,

Æſtu Solis ibi magis intenſo. Hinc eſt, quòd Populi hi, Allegoriarum præ aliis amantes, mutuati ſunt varias, easque judicii plenas, loquendi formulas, ut heic Moſes in Cantico ſuo Cygneo. Jobus XXIX. 22. 23. *Sermo meus in eos ſtillabat. Meque velut Pluuiam expectabant, & os aperiebant ſuum velut ad Pluuiam ſerotinam.* *Homerus* Iliad. Γ. 222. *Ulyſſi* ſermones tribuit Imbribus hybernis ſimiles, ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν propter judicii acumen, & inſigne, quod poſſederat, Eloquentiæ donum, διὰ τὸ τάχος τῶν νοημάτων, διὰ τὸ πυκνὸν, διὰ τὸ τῆς σαφηνείας διάλευκον, ut *Euſtathius* explicat. Mentio fit autem in Textu noſtro duplicis Pluuiæ. שְׂעִירִים *ſeirim*, ὄμβρος, *Imber*, denſa eſt Pluuia, vento plerunque ſociata, germinantibus inprimis, vel creſcentibus Plantis proficua, ſed florenti maturoue Frumento noxia, utpote id proſternens. *Imber in herba utilis tantum; florentibus autem Frumento & Hordeo nocet —— Matureſcentia Frumenta imbre læduntur, & Hordeum magis.* *Plin.* L. XVIII. c. 17. Eadem habet *Theophraſtus Hiſt. Plant.* L. VIII. c. 6. *de cauſ. Plant.* L. II. c. 3. רְבִיבִים *tenuiores* ſunt *Pluuiæ*, Nobis *Stilla*, *Tropfen*, ut & Vulgata, LXX. νιφετὸς, alibi σταγόνες, *guttæ*, adultis inprimis Plantis gratæ: *Pluuia non uniuerſa ingurgitans diluensque, ſed quomodo ſtitur, deſtillans velut ex ubere alit omnia, quæ inundat.* *Plin.* Sed Pluuiam omnem antecellere perhibetur *Ros*, perſuaſi id ſunt coloni, Rationes dant Philoſophi: Eſt Ros non mera & cruda Aqua, ſed quæ jam actu circulauit per Plantarum tubulos, imo particulis nutritiis purioribus, ſubtilioribus, quæ Poris Plantarum exhalarunt, imprægnata. Applicationem Pluuiæ ſeu denſæ, ſeu tenuis, ſeu roriferæ ad doctrinam & ſermones eorum, qui Verbum DEI populo inſtillant, aliis linquo.

TAB. CCCLVII.

Deut. Cap. XXXII. verſ. II.

Quemadmodum Aquila excitans nidum ſuum, & ſuper pullos ſuos volitans, expandensque alas ſuas, tollit illum, & portat eum ſuper alas ſuas.

Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas: & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis.

COmparat heic Moſes Amorem DEI, erga Populum ſuum, Amori, quo *Aquila* fertur erga pullos ſuos. *Quemadmodum Aquila excitans nidum ſuum*, id eſt, pullos ſuos. Metonymica locutione, qua continens ſumitur pro contento, obuia quoque apud profanos Scriptores. *Virgil.* L. IV. *Georgic.* de Hirundine.

Ore ferunt dulcem nidis immitibus eſcam.

id eſt, pullis crudelibus, juxta explicationem *Seruii* & *Nonii*.

Columella in *Horto*.

Veris & aduentum nidis cantarit Hirundo.

Juuenalis Sat. V. applicat hanc loquendi formulam ipſis pueris.

Sed tua nunc, Mygale, pariat licet, & pueros tres
In gremium Patris fundat ſemel, ipſe loquaci
Gaudebit nido.

Hinc & Gloſſæ habent νεοσσὸς, *nidus*, *pullus*. Excitationem ipſam, cujus Moſes meminit, explicat ita R. *Selomo*, quod Aquila non inuolet nido violento quodam impetu, ſed blando ſeſe demittat volatu, alis ad Arborum ramos allisis, ut pullis non deſit vel otium, vel occaſio, ſeſe excitandi, & parentem excipiendi. De eo nempe agitur, ut pulli foueantur, non comprimantur. Senſum Moſis clarè ſatis παραφράζει *Hieronymus*: *Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, &c.* Ut huc redeat ſenſus, inuitare & excitare Aquilam pullos ſuos ad volatum propriâ ſuarum Alarum expanſione & vibratione, de qua *expanſione* ipſe loquitur in Textu Moſes. Sunt nempe primi πτερυγισμοὶ, ſiue ὀρταλισμοὶ veluti δοκιμαστικοὶ, & Aquilæ ita naturales, ut & pulli inter cibandum continuò fere expandant alas ſuas, quod quidem plerisque aliis Auibus eſt commune.

Vocantur *Aquilarum pulli* Prov. XXX 17. בְּנֵי נָשֶׁר *Aquilæ filii*, & Job. XXXIX. 33. אַפְרֹחָיו, voce omnibus Auium pullis communi. Sed heic occurrit vox גּוֹזָלָיו, ubi notandum גּוֹזָל ſignificare propriè columbarum pullos.

Silen-

DEUT. Cap. XXXII. v. 11.
Aquila nidum excitans.

V. Buch Mosis Cap. XXXII. v. 11.
Ein aufgewektes Adler-Nest.

I. G. Pintz sculps.

DEUT. Cap. XXXII. v. 13. 14. 15.
Ieschurun pinguis.

V. Buch Mosis Cap. XXXII. v. 13. 14. 15.
Der fette Ieschurun.

I. G. Thelot sculps.

Silentio haud prætereundum, quòd Moſes Aquilæ pullos in Plurali numero tribuat, uti & Jobus, quos ſcilicet & foueat & nutriat, quum contra *Muſæus*, quidam ex veteribus Poetis, apud *Ariſtotelem Hiſt. Anim.* L. VI. c. 6. de Aquila memoret, eam tres quidem parere, duos excludere, ſed unicum duntaxat curare.

Ὃς τρία μὲν τίκτει, δύο δ' ἐκλείπει, ἓν δ' ἀλεγίζει.
ſiue ἓν δ' ἀλυβάζει.

Unum alit, ut *Plutarchus* legit in *Mario*. Fatetur tamen *Ariſtoteles*, tres etiam pullos in eodem nido fuiſſe inuentos, ſeptem à *Mario* apud *Plutarchum*, itemque à *Clodio Albino* apud *Julium Capitolinum* teſtimonia adſunt.

Plura in hunc Textum legere licet ad Exod. XIX. 4. Interim haud è re erit heic apponere Veteris cujusdam Poetæ παράφρασιν in Textum præſentem, & Exodi jam citatum, ubi ſequentes Hexametros in Supplementis videbis adnexos.

Ac velut alituum Princeps, fuluusque tonantis
Armiger, implumes & adhuc ſine robore natos
Sollicitâ refouet curâ, pinguisque ferinæ
Indulget paſtus: mox ut cum viribus alæ
Veſticipes creuere, vocat ſi blandior aura,
Expansâ inuitat plumâ, dorſoque morantes
Excipit, attollitque humeris, plauſuque ſecundo
Fertur in arua, timens oneri, & tamen impete preſſo
Remigium lentans alarum, incuruaque pinnis
Vela legens, humiles tranat ſub nubibus oras.
Hinc ſenſim ſupra alta petit, jam jamque ſub aſtra
Erigitur, curſusque leues citus urget in auras,
Omnia peruolitans latè loca, & agmine fœtus
Fertque refertque ſuos vario, moremque volandi
Addocet, illi autem longa aſſuetudine docti
Paulatim incipiunt pennis ſe credere cœlo
Impauidi. Tantum à teneris valet addere curam.

TAB. CCCLVIII.

Deut. Cap. XXXII. verſ. 13. 14. 15.

13. Inuexit eum in ſublimitatibus terræ, ut comederet prouentus Agrorum, deditque ei, ut ſugeret Mel de Petra, Oleumque è duriſſimo ſaxo.

13. Conſtituit eum ſuper excelſam terram: ut comederet fructus agrorum, ut ſugeret mel de Petra, oleumque de ſaxo duriſſimo.

14. Butyrum Boum & Lac Ouium, cum Adipe (a) Arietum pinguium, & Hircorum, cum Adipe (b) delicatiſſimi Tritici, & Sanguinem Uuæ biberet meracum.

(a) Al. Arietum Baſan.
(b) Ebr. cum Adipe Renum frumenti, alii referunt Adipem & Renes ad Hircos, ſed ſimpliciter eſt, ſimilagine præſtantiſſima & optima.

14. Butyrum de armento, & Lac de ouibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan, & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem uuæ biberet meraciſſimum.

15. Et pinguis factus rectus calcitrauit, craſſus factus es, obeſus, & adipe obductus. Dereliquit DEUM factorem ſuum, & ingratus fuit Petræ ſalutis ſuæ.

15. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.

PErgit Orator DEI extraordinarius Populo Iſraelitico demonſtrare maxima beneficia, ſed & atram reprobat Ingratitudinem. *Inuexit eum in ſublimitatibus Terræ*, Gileaditicæ montoſæ, *ut comederet prouentus agrorum*, Moabiticæ. *Mel de Petra, & Oleum è duriſſimo Saxo ſugere*, Poetica eſt & figurata locutio, qua deſcribitur *Terra Lacte fluens & melle*, fertilis undiquaque. Ita & *Virgilius Eclog.* IV. 29.

Incultisque rubens pendebit ſentibus uua,
Et duræ Quercus ſudabunt roſcida mella.

Nemo non videt, propriâ ſignificatione Mel neque è Petra fluere, neque ex Quercu, neque Oleum magis ex duro Saxo, quam è Silice excutitur Aurum, aut pecunia. Sed ubi Apes non nutriuntur mites duntaxat, ſed quoque ſylueſtrium examina nidificant in Saxis, Syluis, Dumetis, uti in Orientalibus Regionibus, Polonia, Ruſſia, Elogium meretur regio, quod Canaanitidi tribuit Moſes. Ita & *Euripides* in *Bacchis* v. 14.

Ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον
Ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσῶν
Νέκταρι.

Fluit Lacte ager,
Fluit etiam vino, fluit & Apum
Nectari.

Virgilius Eclog. III.

Mella fluunt illi, ferat & rubus aſper Amomum.

Ouidius Metam. L. I. de Aureo Seculo.

Flumina jam Lactis, jam flumina Nectaris ibant.

Horatius L. II. Od. 19.

- - - - - lactis & uberes
Cantare riuos atque truncis
Lapſa cauis iterare mella.

His omnibus jungimus Jobum XX. 17. *Non videbit riuos fluminum torrentium mellis & butyri.*

Pergimus ad *Butyrum Boum & Lac Ouium*, donaria DEI, de quorum præſtantia nos inprimis atteſtari poſſumus *Heluetii*, qui γαλακτοφάγων & γαλακτοπότων Epitheta non minori jure meremur, quàm *Nomades* illi & *Getæ*. Sunt Jumenta & Pecora nobis, quod Palma Indis: dat Pellis veſtes, caro cibum, Lac & Serum potum, Butyrum & Caſeus non nobis ſufficit ſolis, ſed quoque in vicinas exportatur Regiones. *Lac eſt omnium rerum, quæ cibi cauſa capimus, liquentium maximè alibile, & id ouillum, inde caprinum. Varro de Re Ruſt.* L. II. C. II. Alimenti pretium haud vertet in dubium, qui in Scholis Anatomicorum & Medicorum eſt edoctus, quàm ſit Lac fluidum puriſſimum, per tot præuias ſecretiones defæcatiſſimum, particulis nutritiis caſeoſis, butyroſis, ſeroſis, fœtum, ſanguinis albi nomine dignum, ut hic eſt Lac rubrum. *Columella* iterum L. VIII. c. 2. *Caſei Lactisque* (ouilli) *abundantia non ſolum agreſtes ſaturat, ſed etiam elegantium menſas jucundis & numeroſis dapibus exornat. Quibusdam verò Nationibus frumenti expertibus victum commodat.* Elogio, quod heic ouillo caſeo impertitur Rei Ruſticæ expertiſſimus, ſubſcribere poſſum & ego, cui aliàs eſt omnis Caſeus auerſationi. Accidit aliquando mihi in caſula alpina ad Fontes Rheni poſterioris, in extremis Syluæ Rhenanæ Alpibus, ubi vix aliud reperias quàm juga horrida, & Plantas odoratiſſimas ſimul & rariſſimas alpinas, ut incidens in caſeum ouillum recentem eo tanquam ſapidiſſimo ferculo fuerim uſus, quo gratius nil per vitam guſtaſſe judicaui, & mecum Itineris ſocii. Eſt *Butyrum* rarius ouium productum, communius, ut heic, Moſe teſte, *Vaccarum* ſiue *Boum*, à quibus & nominis originem βούτυρον habet. Obſeruari tamen meretur, *Caſeum* antiquitate præire *Butyro*. *Lactis* & *Caſei* frequentiſſima fit mentio apud vetuſtiſſimos Scriptores, *Homerum*, *Theocritum*, *Euripidem*, nulla *Butyri*. Et *Ariſtoteles Hiſt. Animal.* L. III. c. 20. 21. multa narrat de Lacte & Caſeo, de Butyro nihil, hujus nomine intelligens fortè quendam ἐν τῷ γάλακτι λιπαρότητα, ἢ ἐν τοῖς πεπηγόσι γίνεται ἐλαιώδης. Uti &, quod Butyrum nos vocamus, *Athenæo* L. X. c. 14. audit ἔλαιον ἀπὸ γάλακτος, *Oleum ex Lacte*. Quum è contra apud Orientales populos *Butyri* uſus & eſus ſit antiquiſſimus, vel S. Scripturâ teſte ἀναντιῤῥήτῳ. *Tulit* Abraham Hoſpitibus ſummis *Butyrum* & *Lac*, Gen. XVIII. 8. Et exemplo Jahelis Heroinæ, quæ fugitiuo Imperatori Siſaræ *Lac* offerebat & *Butyrum*, Jud. V. 25. honeſtiſſimorum item virorum in Mahanaim, qui Regi Dauidi fugâ vitam ſaluanti attulerant *Butyrum & Caſeos vaccinos*, 2. Sam. XVII. 29. honori ſibi ducunt Senni, quo nomine nobis veniunt Alpini paſtores, Hoſpites excipere, quod faciunt, Lacte, Butyro recenti, & Caſeo: honori ducunt hi ab illis excipi.

Sequitur ordine *Adeps Arietum pinguium & Hircorum*. In Textu Originali vocantur Arietes בְּנֵי בָשָׁן *filii Baſan*, ut & in vernacula *Söhne Baſans*, quia *Baſanitis* pecoribus fuit abundantiſſima, propterea & à Rubenitis & Gaditis petita in hæreditatis portionem, NUM. XXXII. 4. Memorantur Dauidi Pſ. XXII. 13. *Tauri præualidi ex Baſan.* Ezech. XXXIX. 18. *Arietes, Agni, & Hirci, & Boues, qui in Baſan omnes ſaginati ſunt.* Amos IV. 1. *Vaccæ Baſan, Symmacho* βόες ἐυτροφοι, *Hieronymo Vaccæ pingues*, qui ad l. c. plura, ut & *Cyrillus*. Notandum heic, *DOMINO eſſe omnem Adipem*, Leuit. III. 16. h. e. omnem Adipem fuiſſe DEO adolendum in grati odoris ſacrificium, & prohibitum fuiſſe Iſraelitis ſeuerâ Lege eſum Adipis & Sanguinis. v. 17. heic tamen Adipem Arietum, ouium & hircorum iisdem promitti in uſum. Sed hanc ἐναντιοφάνειαν diſcuſſimus alibi, ſcilicet TAB. CCXXV.

Per *Adipem delicatiſſimi Tritici* intelligunt communiter Interpretes optimum Triticum, addentes, optimum quodque non ſolùm in Animalibus, ſed & Vegetabilibus nomine veniſſe *Medullæ*, *Adipis*. Offert Pharao Joſepho

TAB. CCCLIX.

DEUT. Cap. XXXII. v. 15.
Buena vida padre y madre olvida.

V. Buch Mosis Cap. XXXII. v. 15.
Wenn der Geiß wohl ist, so scharrt sie.

I. G. Thelot sculps.

pho & toti Familiæ Jacobi *bonum Terræ Ægypti, pinguedinem Terræ*, μυελὸν τῆς γῆς, Gen. XLV. 18. & Num. XVIII. 12. ad Aharonem DEUS: *Omnem pinguedinem Olei, omnem quoque pinguedinem Muſti & Frumenti — tibi tradidi. (Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti — tibi dedi.)* Minus placet *Clerico* communis interpretatio, *adeps renum Tritici*, quia inter Renes & Triticum nullam videt conuenientiam. Mihi contra videtur Orientalium illa Adipis ad optima quæque translatio in ipſa Natura fundata, proin & *adeps renum Tritici*, quia ex optimis quibuscunque alimentis optimum, oleoſum, pingue, præuiis digeſtionibus & ſecretionibus transit in Adipem; Adeps proin potentialiter, ut in Scholis loquuntur, Vegetabilibus ineſt.

Par ratio eſt *Sanguinis uuæ*, qua Metaphorica locutione indigitatur vinum, idque rubri coloris, præſtantiſſimum, quod & ipſum tranſit in Sanguinem, nec Sanguinei duntaxat eſt coloris. Nota eſt vel imæ Plebis perſuaſio, ſanguinem Venæſectione emiſſum reſarciendum eſſe largo meraci rubri potu. Neque in Scriptura Sacra ſola, & paſſim, occurrit hæc Phraſis, ſed & apud profanos Scriptores. *Achilli Tatio* L. II. Vinum cluet αἷμα βοτρύων, *Sanguis uuæ*. *Statius* L. XI. *Theb.*

Deſerit & pingues Bacchæo ſanguine colles.

Ita & *Ouidius* Mori ſuccum ſanguinis nomine tingit.

- - - - madefactaque Sanguine radix
Purpureo tinxit pendentia mora rubore.

TAB. CCCLIX.

Deut. Cap. XXXII. verſ. 15.

Et pinguis factus rectus calcitrauit, craſſus factus es, obeſus, & Adipe obductus. Dereliquit DEUM factorem ſuum, & ingratus fuit petræ Salutis ſuæ.

Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à DEO ſalutari ſuo.

IN *Equis* aliisque Animantibus id obſeruamus, petulantia reddi & libidinoſa à nimio pabulo. Pari fere paſſu ambulant luxurioſa vita, & officiorum erga DEUM, Proximum, nosmetipſos neglectus. Notum illud Hiſpanorum, *Buena vida padre y madre oluida*; Germanorum, *wann der Geiſs wohl iſt, ſo ſcharret ſie.* Sunt in promptu Phyſicæ Rationes. Ex pabuli ſeu Alimenti abundantia multus generatur Sanguis, copioſus nerueus ſuccus: infarciuntur omnes tubuli, tenduntur Nerui, luxuriat ſemen, cientur in motus omnia. Verùm exuberante Pinguedine pigreſcunt Animantia, preſſis nimium tum ſanguivehis vaſis, tum chordis nerueis. Haud difficilis eſt Phyſicæ hujus & locutionis & interpretationis ad vitam Hominis Rationi diſformem applicatio. Teſtis eſt, proh dolor! Experientia vitaque quotidiana. Fundatur hoc Ratiocinio promiſſio illa & comminatio Ezech. XXXIV. 16. *Perditam requiram, propulſatam reducam, confractam ligabo, infirmam roborabo, pinguem verò & fortem compeſcam, & paſcam eam in judicio. (Quod perierat, requiram: & quod abjectum erat, reducam; & quod confractum fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat, conſolidabo: & quod pingue & forte, cuſtodiam: & paſcam illas in judicio.)* Pſal. LXXVIII. 31. *Quum ira DEI deſæuire in eos inciperet, occideretque pingues eorum, atque ſelectiores in Iſraele dejiceret. (Et ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum, & electos Iſrael impediuit.)*

TAB. CCCLX.

Deut. Cap. XXXII. verſ. 24. 33.

24. Aduſti fame, conſumpti ardenti Lue, & amara ægritudine, quin & dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore ſerpentium in puluere.
33. Virus Draconum vinum eorum, & fel Aſpidum ſæuum.

24. Conſumentur fame, & deuorabunt eos aues morſu amariſſimo: dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram, atque ſerpentium.
33. Fel Draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.

NEmo non & nouit & concipit facile, quod à Fame reddantur Homines τηκόμενοι, conſumpti, ut LXX. habent v. 24. Perdunt continuo plùs, quàm addunt, & id ipſum, quod corpori dant in alimentum, nutriendo corpori eſt inidoneum. Et quid mirum, ſi Homo à lauta victus ratione, à cibis εὐχύμοις καὶ εὐπέπτοις, boni ſucci & facilis digeſtionis, deſcendat ad δυσπέπτας καὶ κακοχύμας, crudos, inſolitos, mali ſucci, difficilis concoctionis, Naturæ noſtræ non conuenientes, quid, inquam, mirum, ſi deficiat habitus, conſumantur carnes, Homo viuum præſentet Sceleton?

Per רֶשֶׁף *reſcheph*, *ardentem Luem*, *brennende Suebt*, commode intelligit *Clericus Anthracem*, ſiue *Carbunculum*, Tumorem ex ardentiſſimis, vel & *Bubonem peſtilentialem*, quia mox ſequitur, conſumptum iri ab *amara ægritudine*. Peſte autem nihil eſt amarius, ſæuius nihil.

בְּהֵמוֹת *Behemoth* nomine, cujus ſpecialior ſignificatus enucleabitur in Jobo, intelligimus varii generis Quadrupedes feras, quæ Dentibus obuia quæque diripiunt.

זְחֲלֵי עָפָר *Zochale aphar* ſunt in proprio ſignificatu Animalia in puluere Terræ proſerpentia: qua Poetica loquendi formula intelliguntur *Serpentes*, de quorum Veneno varias varii fouent Hypotheſes.

De תַּנִּינִם *Thanninim*, *Draconibus*, multa legas paſſim in Sacris Codicibus, & profanis Scriptoribus, ſed apud hos incerta multa, imo fabuloſa. De qua re nunc fuſiùs differendi nec locus ſufficit, nec tempus. Ex certiſſimis id eſt, *Draconum* nomine intelligi *Serpentes* magnos, ex incertiſſimis id, dari Dracones alatos. In *Hiſtoria* mea *Heluetiæ naturali* & *Itineribus Alpinis* offendes longam ſatis Draconum Helueticorum ſeriem, de qua notari volo, non me Beſtias hasce deſcripſiſſe propriâ Experientia, ſed aliorum relatione fultum.

Draconibus denegant *Venenum* Aetius, Iſidorus, *Plinius* L. XXIX. c. 4. Et *Nicander* teſtatur, à morſu Draconum non majus inferri damnum, quàm à muris morſu.

Ἐ μὲν ὁ γ' αὐτῶν
Ἐγχείμψας ἤλγυνε; καὶ ἦν ἔκπαγλα κακεφθῆ.
Βληχρὸν γὰρ μυὸς ὅια νυχηβόρε ἐν χροΐ νύγμα
Εἰδεται αἱμαχθέντος ὑπὸ κραντῆρος ἀρούρης.

- - - - - - Non is æquè (ac alii Serpentes)
Pungens Dolorem excitat, etiamſi grauiter lædat:
Nam à debili dente cruentato leuis in cute punctio
Apparet, tanquam à Mure, qui noctu vorat.

Attamen heic Moſes memorat *virus Draconum*, & Sap. XVI. 10. τὰς δὲ υἱάς σε ἀδὲ ἰοβόλων Δρακόντων ἐνίκησαν ὀδόντες. *Filios autem tuos ne venenatorum quidem Draconum ictus vicerunt. (Filios autem tuos, nec draconum nec venenatorum vicerunt dentes.)* Notandum heic, non eſſe Serpentes in Climatibus temperatis & frigidioribus adeò noxios, imo nec in Græcia, niſi vel iræ furore ſuccendantur, vel calidioribus viuant Herbis aut Animalibus, ut Draco ille apud *Homerum Iliad.* χ'. βεβρωκὼς κακὰ Φάρμακα In Africa è contra & Barbaria adeo exaltata ſunt & veluti exacuata ſpicula ſalina volatilia, ut horum Animantium morſus periculo haud careant, imò perſæpe ſint lethiferi. Teſtis eſt præter Experientiam *Lucanus:*

Vos quoque, qui, cunctis innoxia numina Terris,
Serpitis aurato nitidi fulgore Dracones,
Peſtiferas ardens facit Africa.

Quapropter ſagittæ illæ Draconum veneno tinctæ apud *Heliodorum* vulneratis illicò mortem inferebant. *Prudentius Hamartigenæ* v. 481.

Ecce!

DEUT. Cap. XXXII. v. 24-33.
Vindicta peccatorum.

V. Buch Mosis Cap. XXXII. v. 24-33.
Gott und Natur der Sünden Feinde.

I. G. Thelot sculps.

TAB. CCCLXI.

DEUT. Cap. XXXII. v. 32.
Καν̃ κόρακος κακόν ω̃ον.

V. Buch Mosis Cap. XXXII. v. 32.
Der Apfel fällt nicht weit vom Stam̃.

I. G. Pintz sculps.

Ecce! Jebuſiacæ feruent ad prælia turmæ:
Aurea tela, quibus de ſanguine tincta Draconis,
Mortifero ſplendore micant.

Horatius L. II. *Satyr.*

- - - - - - - velut illis
Canidia afflâſſet, pejor Serpentibus Afris.

Obſeruari meretur, occaſione Textus, *Serpentes, cùm occaſio eſt, vinum præcipuè appetere*, teſte Plinio L. X. c. 72. imò vinum temulentiam quandam illis inferre, ut capi facilius poſſint, ſaltim allici. Ariſt. Hiſt. L. VIII. c. 4. Vino etiam intendi eorum venenum. Hinc *Jonathan* in *Paraphraſi* ſua Chaldaica. *Ecce! ut eſt fel Draconum, cum ſunt à vino ſuo (id eſt, poſtquam vinum biberunt,) ita erit fel calicis, è quo bibent in die ultionis eorum.*

Virus Draconum ſocium habet *fel Aſpidum ſæuum.* Habent LXX. θυμὸς Ἀσπίδων ἀνίατος, Vulgata *Venenum Aſpidum inſatiabile.* De quo Aſpidis Veneno tradunt unanimiter Hiſtoriæ naturalis Scriptores, eſſe acutiſſimum, cordique per venas redux infeſtum. Ὀξύτατόν ἐϛι τὸ ἐξ αὐτῆς φάρμακον, ϗ διαδραμεῖν ὦκιϛον. *Ælian.* L. IX. c. 61. Unde Adagium apud *Apoſtolium* & *Erasmum*, Δῆγμα Ἀσπίδος, *morſus Aſpidis*, de inſanabili malo. De Indole autem hujus Veneni legantur *Ariſtot. Hiſt.* L. VIII. c. 29. *Plin.* L. VIII. c. 23. *Ælian.* L. I. c. 44. VI. c. 38. *Phile.* c. 59. *Galen.* L. I. *de Theriaca* c. 8. & ex iis Bochart Hieroz. P. II. L. III. c. 5. & 14.

In Tabula hac vinum ex patina lingit *Aſpis vulgaris;* marginem autem ornat *Serpens Indicus Nieremberg.* Si qui enim ex Serpentium Familia Draconum nomine digni ſunt, ſunt prægrandes illi Indici.

TAB. CCCLXI.

Deut. Cap. XXXII. verſ. 32.

Quoniam de vinea Sodomorum vitis eorum, atque de aruis Amorræ. Uua eorum uua (a) fellis, botrus amariſſimus eis.

(a) Al. Abſinthii.

De vinea Sodomorum vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ: uua eorum, uua fellis, & botri amariſſimi.

DUbium haud eſt, abundaſſe, ut aliis præcellentibus fructibus, ita & præſtantiſſimis vitibus totam illam Regionem, quæ juſto DEI judicio cœleſti Igne fuit exhauſta. *Nam priusquam vaſtaret DOMINUS Sodomam & Gomorram, ea pars, quæ circa Zoar eſt, erat ſicut Hortus DOMINI, & ſicut Terra Ægypti.* Gen. XIII. 10. *(Antequam ſubuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in Segor.)* Sed poſt cataſtrophen illam, cujus Hiſtoria Tragica legitur Gen. XIX. 24. produxerat, teſte Textu noſtro, *uuas fellis, & botros amariſſimos.* Teſtem habemus *Joſephum Bell. Jud.* L. IV. c. 27. ἔϛι δὲ κἂν τοῖς καρποῖς ϛποδιὰν ἀναγεννομένην ἰδεῖν, οἱ χρόαν μὲν ἔχϵσι τοῖς ἐδωδίμοις ὅμοιαν, δρεψαμένων δὲ χερσὶν εἰς καπνὸν διαλύονται ϗ τέφραν, *eſt quoque in fructibus renaſcentes videre cineres, qui colorem quidem habent edulibus ſimilem, carpentium verò manibus in fuliginem fumumque diſſoluuntur ac cineres.* Et *Tacitus Hiſt.* L. V. c. 6. *Haud procul inde, à Lacu ſcilicet Judææ, qui bitumen egerit, campi, quos ferunt olim uberes, magnisque urbibus habitatos, fulminum jactu arſiſſe: & manere veſtigia, terramque ſpecie torridam, vim frugiferam perdidiſſe. Nam cuncta ſponte edita, aut manu ſata, ſiue herbatenus aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adoleuere, atra & inania velut in cinerem vaneſcunt. Ego ſicut inclitas quondam urbes igne cœleſti flagraſſe conceſſerim, ita halitu Lacus infici Terram, corrumpi ſuperfuſum ſpiritum, eoque fœtus ſegetum & Autumni putreſcere reor, ſolo cœloque juxta graui.* Nec malè philoſophatur magni nominis Hiſtoricus. Terra Sulphure & Bitumine ſaleque prægnans quidnî daret Plantis iisdem particulis imprægnatum nutritium ſuccum? Quodſi, Experientiâ teſte, imo cineribus teſtibus, per Plantarum tubulos ſurgunt ipſæ particulæ Ferri, cur non ſurgeret & ſal bituminoſum amarum, & ſaporem corrumpens & ſtructuram? Nouimus, minus grati eſſe ſaporis uuas, ubi fœtida exhalat mephitis: fumi odore infici vinum iis in vineis, quæ editiori loco ſitæ Urbes habent inprimis ad occaſum. Exempla proſtant apud nos Tiguri.

Felle tinctas *uuas* prædicat Textus & Verſio noſtra, ϛαφυλὰς χολῆς LXX. per conſequens & male ſanas, imò venenatas *uuas Cicutæ*, ſi ראש *roſch*, præeuntibus *Tremellio* & *Buxtorffio*, reddamus

damus *venenum*, *Cicutam*, quo ſenſu *Chriſtoph. Helwig Specim. Pharmacol. Sacr. de Antimonio, Cicuta, &c.* Gryphiswaldiæ 1708. vocem hanc ſumit, & Locum Deuter. XXIX. 18. ita vertit: *Ne quis veſtrum ſit Radix germinans Cicutam & Abſinthium, und werde vielleicht eine Wurtzel unter euch, die Schierling und Wermuth trage:* quem eundem ſenſum tribuit aliis quoque locis Jer. IX. 15. XXIII. 15. Thren. III. 5. Hoſ. X. 4. Amos. VI. 12.

Non mutant ſenſum variantes hæ interpretationes, quinimò conſpirant amicè. Quales ſunt vites, tales ſunt uuæ, quales uuæ, tale eſt vinum, quale vinum, talis effectus. Κακῆς πόρκος κακὸν ὦον. Uuæ ſi ſint amaræ, ſi felleæ, imò ſi venenatæ, ſi venenum Cicutæ eſt ſimile, quid expectes niſi virulentos in ipſam illam Judæorum degenerem Nationem, niſi virulentos, inquam, lethiferos, quos DEUS interminat effectus?

In gratiam eorum, quibus *Cicuta* pro *Roſch* placet, ſiſto *Cicutam majorem* C. B. I. B. unà cum ejus characteribus. Licet hæc non ſit in noſtris Climatibus adeò venenata, atque *Cicuta aquatica Gesneri* I. B. *Sium alterum Erucæ folio* C. B. de cujus noxis præſtantiſſimum habemus Librum Hippocratis Heluetici *Conr. Wepferi.*

TAB. CCCLXII.

Deut. Cap. XXXIII. verſ. 13. 14. 15. 17.

13. Ad Joſeph dixit: Benedicta eſt à DOMINO Terra ejus à delicatiſſimis & dulciſſimis fructibus Cœli, à Rore, & ab Abyſſo infernè cubante.

13. Ad Joſeph quoque ait: De benedictione Domini terra ejus, de pomis cœli, & rore atque abyſſo ſubjacente.

14. A delicatiſſimis & dulciſſimis fructibus Solis, & à dulciſſimis & delicatiſſimis fructibus (a) menſium.

(a) Ebr. ejectione Lunarum, ejectio autem maturus eſt fructus; Lunæ curſu menſes conſtant, in quibus fruges matureſcunt.

14. De pomis fructuum Solis ac Lunæ.

15. Et à capitibus montium Orientalium, & à delicatiſſimis fructibus collium, qui jam olim fuerunt.

15. De vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum.

17. Decor ejus ut primogeniti Bouis illius, & Cornua illius ut Cornua Unicornis, quibus populos deturbabit pariter usque ad fines Terræ, atque hæc ſunt decem millia Ephraim, & iſta millia Manaſſe.

17. Quaſi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipſis ventilabit Gentes usque ad terminos terræ: hæ ſunt multitudines Ephraim, & hæc millia Manaſſe.

IIsdem prope Verbis benedicit agonizans *Jacobus Joſepho* filio Gen. XLIX. 25. atque ſunt ea, quæ leguntur v. 13. *A DEO Patris tui, qui adjuuit te, & cum omnipotente, qui benedixit te, Benedictionibus Cœli deſuper, benedictionibus Abyſſi cubantis infra.* Qui heîc promittuntur *fructus Cœli*, ſunt ibi *benedictiones Cœli.* Utrobique, ut frequentiſſime in Sacro Codice, *Cœli* nomine intelligitur *Aer*, ſiue *Atmoſphæra*, & inde deſtillans Pluuia & Ros: En proin Regionis fœcundiſſimæ proſpectum, cui influxus Aeris eſt benignus, calor Solis maturandis frugibus ſufficientiſſimus, Pluuiæ vernales & autumnales, Ros abundantiſſimus, omnia ad felicitatem diſpoſita. En quomodo DEUS ipſe adloquatur Populum ſuum Malach. III. 10. *In hoc periculum de me ſumite, dicit DOMINUS Exercituum, ſi non aperuero vobis feneſtras cœli, & benedictionem omnigenam vobis effundam. (Probate me ſuper hoc, dicit DOMINUS: Si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem*

usque

DEUT. Cap. XXXIII. v. 13 - 17.
Iosephi Bos et Rhinoceros.

V. Buch Mosis Cap. XXXIII. v. 13 - 17.
Joseph mit Ochsen und Nashorn verglichen.

I. G. Pintz sculps.

usque ad abundantiam.) Ubi rurſum ex una parte ſiſtitur *benedictio omnigena* fructuum, ex altera *apertura feneſtrarum cœli;* ex una fructificationis media, ex altera מִגְדִים *megadim* fructus dignitate & præſtantia aliis ſuperiores, מֵגֶד *meged* enim generatim notat rem præſtantiorem & pretioſam.

Per *abyſſum inferne cubantem* hîc & Gen. XLIX. 25. intelligimus Hydrophylacia ſubterranea, à quibus jugiter aſcendentes vapores corticem Terræ ſuperiorem irrigant, Plantis allaturi nutrimentum, ſed quoque ſurgentes in Aera Pluuiæ aliisque Meteoris aqueis materiam præbent. Hujusmodi תְּהוֹמוֹת *Thehomoth, Abyſſorum* mentio quoque fit Deut. VIII. 7. DOMINUS DEUS *tuus introducet te in Terram bonam, terram, in qua ſunt Torrentes Aquarum, Fontes & Abyſſi* תְּהוֹמוֹת *erumpentes ex Vallibus & montibus.* Ita comparatur *Aſſur Cedro in Libano*, quam *Aquæ nutriuerant, Abyſſus extulit*, Ezech. XXXI. 4. Detegit nobis omnibus his locis Sacer Codex ea, quæ aliàs in ſenſus non incurrunt, ut in penetralia Terræ introſpicere, & videre liceat Theſauros abſconditos, quos quidem & Ratio conjectare valet ex variis indiciis, præſertim in Regionibus montoſis, ubi ſuffena ſatis ſunt Hydrophylaciorum ſubterraneorum indicia, ex quibus flumina, riui, fontes potiori jure deriuanda veniunt, quàm à pluuia vel Niue. Et obſeruandum probe, promittere DEUM heic per Moſen, & ſupra per Jacobum populo ſuo beneficia duo inſignia, quibus Iſraelitæ carebant in Ægypto, utpote cui deeſt & Pluuia ſufficiens, & Abyſſi, de qua Terræ conſtitutione alibi plura.

Sed quoque, ὡς ἐν παραδείσῳ, edocemur, Vegetabilia nutriri non ſolùm ex Aquis cœlo deciduis, verùm & ex Abyſſinis: quæ duæ ſcaturigines adeò & præciſè à DEO ſunt commenſuratæ, ut ea ſemper portio Aquarum vel ſuperiorum, vel inferiorum Plantis nutriendis impendatur, quæ & nutritioni & augmento earum eſt neceſſaria, & euidentiſſimum Supremæ Sapientiæ & Bonitatis τεκμήριον.

Dat v. 14. anſam diuerſis Meditationibus. *Solem* ſi conſideremus in reſpectu ad Motum, dat annuus, ut vocant, Tempora quatuor Anni, & in ſingulis nouos fructus, alios Autumno, alios Æſtate, Vere alios, alios Hyeme: diurnus alios tantùm non quotidie in Regione adeò fertili, qualis fuit Canaanitis. Beneficum hocce, Sidus conſideratum ut ingentis molis Globus igneus, Calorem largitur, eumque ſufficientem & neceſſarium, non Terræ ſoli, ſed & toti Vortici Planetico; & docet nos, quotquot ſumus Terricolæ, quotidiana Experientia, producere Solem *fructus*, urgendo vi proportionali ſui caloris ſuccum nutritium in Plantas harumque tubulos ab ipſo illo calore dilatatos. De Solis proin actione nullum eſt dubium.

Lunam ſi conſideremus in menſtruo ſuo circa Terram circuitu, commodè poſſumus per גֶּרֶשׁ יְרָחִים *gereſch jerachim, ejectionem* vel *protruſionem Lunarum* intelligere ipſos Fructus, quos Terra largitur de menſe in menſem, juxta curſum Lunæ, vel *protrudit.* Sed Phyſico mouere videtur difficultates vernacula noſtra Verſio, *Früchte, welche der Mond hervor trucket*, & ipſi Lunæ vim prementem, vegetabilia ex Terra protrudentem, ſuccumue nutritium in tubulos cogentem. Ut ſanè Agricolæ Hortorumue cultores Regulas ſuas ita dictas Ruſticas motui Lunæ inædificarunt, quibus plus accedit momenti & authoritatis ab imaginatione ſæpe illuſoria, & præconcepta opinione, quàm à Ratione & Experientia. Extra dubitationis aleam eſt, premere Lunam in Globum huncce Terraqueum, & ab ipſa hac preſſione dependere Maris Æſtum, Paroxyſmos epilepticos, conuulſiuos, alia Accidentia. Neque eſt Ætiologia Phyſicis modernis incognita. An verò eadem hæc Preſſio vim ſuam exerat in Plantas, & quousque ſeſe protendat, adhuc eſt incompertum.

Verſiculo 15. parallelus eſt locus Gen. XLIX. 26. ubi abiens ad Patres Jacobus chariſſimo ex filiis Joſepho: *Benedictiones patris tui ampliores ſunt, quam benedictiones majorum meorum, usque ad deſiderabiles colles, qui jam olim fuerunt. (Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictiones patrum ejus: donec veniret deſiderium collium æternorum.) Clericus* habet utrobique *montes & colles æternos, perpetuos.* Notandum autem, Ephraimo & Manaſſi ceſſiſſe in hæreditatem Regionem cis- & trans-Jordanicam, ad Mare usque Mediterraneum, Baſanitidem, Gileaditidem, à Jumentorum pecorumue præſtantia atque copia paſſim in Scriptura commendatas. Jer. L. 19. *Reducam Iſraelem ad ſepta ſua, & depaſcet Charmelum & Baſan, & in monte Ephraim atque in Gilead ſaturabitur deſiderium ejus. (Et reducam Iſrael ad habitaculum ſuum; & depaſcetur Carmelus & Baſan, & in monte Ephraim & Galaad ſaturabitur anima ejus.)* Obtulit ſeſe occaſio ad Deut. XXXII. 14. deprædicandi fertilitatem inſignem Baſanitidis. Sed quoque meretur legi teſtimonium *Joſephi Belli Jud.* L. III. c. 4. ubi de Samaria, quæ portio fuit Ephraimi & dimidiæ Tribus Manaſſe cis Jordanem: Montes & campos heîc eſſe fertiliſſimos, Arboribus omnis generis obſitos, frugibus refertiſſimos, non quidem abundanti Aquâ irriguos, ſed Pluuiâ largâ fœcundari ſolitos. Aquas dulces, paſcua pinguia, Lac optimum. Regionem in omni angulo habitatam, id quod ſit μέγιστον τεκμήριον ἀρετῆς καὶ εὐθηνίας. Quacum Aſiatica Regione multa conformia habet Heluetia noſtra montoſa, ſed & diſſimilia. Palmam illi lubentes cedimus, quoniam frigus nobis ſæpe infeſtum transit ibi in blandum calorem, & montes ipſi colleſque apud nos graminiferi, ibi ſunt arboretis, & vinetis obſiti;

ipſo Borea aſpero mutato in blandum quoddam refrigerium.

Æternitas *montium* & *collium*, *qui jam olim fuerunt*, haud contrariatur Syſtemati, quo Montium horum, qui nunc extant, originem deduco ex Diluuio: extitere enim & ante Diluuium, licet fertiliores fortè noſtris: capita proin ſua extulere in ipſa Creatione. *Priusquam montes mergerentur, ante colles formata ſum, (nec dum montes graui mole conſtiterant, ante colles ego parturiebar,)* id eſt, ante jacta Montium, Mundique fundamenta, inſit Sapientia æterna Prov. VIII. 25. eruntque dubio procul ad usque Mundi fines. *Citius & montes locum deſerent, & colles nutabunt, quam vel bonitas mea te deſerat, vel fœdus pacis meæ nutet, ait DOMINUS, qui tui miſeretur.* Jeſ. LIV. 10. *(Montes enim commouebuntur, & colles contremiſcent; miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur: dixit miſerator tuus DOMINUS.*

Decor ejus (ita clauditur & veluti obſignatur benedictio Joſephi v. 17.) *ut primogeniti bouis illius;* eſt namque Bos ſtaturâ & cornubus multis aliis Animantibus præſtans. *Virgilius.*

Paſcitur in magnis ſyluis formoſa Juuenca.

Hinc eſt, quod Ægyptiorum Rex *Mneuis* Bouem adorari juſſerit tanquam formoſiſſimum, ἁπάντων ὡραιότατον εἶναι πεπιϛευκὼϛ. *Homerus Iliad. β'.*

Ἤυτε βοῦς ἀγέλῃφι μέγ' ἔξοχος ἵπλετο πάντων
Ταῦρος —

In armento præcellit ut omnibus unus Taurus —

Controuertit apud *Ciceronem L. I. Nat. Deor. Cotta* in conflictu cum Epicureis de Creaturarum eminenti pulchritudine. Hominem volebant hi. *At mehercle*, inquit ille, *quamuis ego amem ipſe me, tamen non audeo dicere pulchriorem eſſe me, quàm ille fuit Taurus, qui vexit Europam.* Sunt ex eruditis, qui ex præſenti Textu, ut & circumſtantiis inſomnii Pharaonis de bis ſeptem Vaccis euincere conantur, veneratos eſſe Ægyptios Joſephum formâ Bouis, *Apis* & *Serapis*. Verùm enim verò non tam perſona Joſephi ipſa heîc comparatur cum Boue, quàm poſteri ejus, *decem millia Ephraim, & iſta millia Manaſſe*, quæ binæ Tribus Bos fuere fortis, ornamento & adjumento toti Iſraeli. Ex Tribu Ephraim fuere fortiſſimus ille Imperator *Joſua*, *Jeroboam*, Reges alii: ex Tribu *Manaſſe Jair*, *Jephthe*, *Gedeon*. Benè quidem conferri poterat Joſeph cum primogenito Bouis, quoniam Jus Primogenituræ, quo Ruben excidebat commiſſo inceſtu, deuoluebatur ex parte ad Joſephum, cui binæ accedebant hæreditatis portiones. vid. 1. Paral. V. 1. 2.

De *Unicornu*, an ſit ad *Capreas*, præeunte *Bocharto*, releganda, vel *Rhinoceros*, quod *Ludolfo* placet, egimus ad Num. XXIII. 22.

TAB. CCCLXIII.

Deut. Cap. XXXIII. verſ. 19.

Populos ad montem vocabunt, ubi ſacrificabunt ſacrificia Juſtitiæ, quoniam inundationem Marium ſugent, & reconditos Theſauros arenæ.

Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas juſtitiæ: qui inundationem maris quaſi lac ſugent, & theſauros abſconditos arenarum.

ECquis heic quæſiuerit *Vitrum?* Et ſanè per *reconditos theſauros arenæ* intelligit *Jonathan*, Chaldæus interpres, ipſum Vitrum & Specula, quia Vitri potiſſima Materia eſt ipſa Arena, quæ ſub Microſcopio conſpicitur ſub forma ſiliculorum varicolorum & pellucidorum. Videas oculo nudo Arenæ puluiſculum, armato Adamantem, Rubinum, aliam ex pretioſis Gemmam: ita ſub Imaginationis tuæ Microſcopio vanam Mundi Gloriam, ablato eo puluiſculum, fragile Vitrum. Siliculo huic arenoſo adſociatur Cinis, ut Salium beneficio fluida reddatur Arena. Sed videamus, quo nitantur fundamento *Jonathanis* Theſauri ſeu Arenæ, ſeu Vitri. Spectat, de quo nunc, Verſiculus Benedictionem impertitam *Sebuloni*. Ad fines hujus Tribus oſtium eſt *Beli* Fluminis, quod præſtantiſſimam dabat pro Vitri confectione arenam, & aliquandiu ſolam. Audi *Strabonem* L. XVI. p. 521. Μεταξὺ τῆς Ἀκης καὶ Τύρε θινώδης αἰγιαλός ἐϛιν, ὁ φέρων τὴν ὑαλίτην ψάμμον. Ἐνταῦθα μὲν ἓν φασὶ μὴ χεῖσθαι, κομισθεῖσαν δὲ εἰς Σιδόνα τὴν χωνείαν διέχεσθαι. *Inter Acen & Tyrum Littus eſt vitri arenam*

DEUT. Cap. XXXIII. v. 19.
Thesauri in arena.

V. Buch Mosis Cap. XXXIII. v. 19.
Sand-Schätze.

I.G. Pintz sculps.

DEUT. cap. XXXIII. v. 25.
Aser Metalli fosor.

V. Buch Mosis Cap. XXXIII. v. 25.
Aser ein Berg-Knappe.

I.G.Pintz sculps.

arenam ferens ; non quidem ibi fundi dicunt, ſed Sidone. Plinium L. V. c. 19. *Riuus Pagida ſiue Belus Vitri fertiles arenas paruo litori miſcens. Tacitum Hiſt.* L. V. *Et Belus amnis Judaico Mari illabitur, circa cujus os conlectæ arenæ admixto nitro in vitrum excoquuntur. Modicum id litus, ſed egerentibus inexhauſtum.* Similia habet ex *Solino* Auctor *Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ* inſertæ Geſtis DEI per Francos p. 1166. Imò fortè Vitri nomen ὑελὸς, ὕαλος vel de nomine Fluminis hujus *Beli* ductum conjectat Cl. *Relandus Palæſtin.* p. 290. aut ab Hebraico חול *Chol, arena.* Et quid ſi ipſum Germanorum *Glas* deriuaretur à Græco ὑελὸς ? Sed hanc vocum Genealogiam aliis linquo. Adde *Joſephum de Bell. Jud.* L. II. c. 9. cui Fluuius hic βηλεὺς nuncupatus, binis ſtadiis à Ptolemaide labens alluit Vallem rotundam, cui dat ὑαλίνην ψάμμον, vitri feracem arenam, quâ integræ onerantur Naues. v. plura ad Job. XXVIII. 17.

TAB. CCCLXIV.

Deut. Cap. XXXIII. verſ. 25.

Ferrum & Æs ſub calceamentis tuis —

Ferrum & Æs calceamentum ejus —

FUit, ſi quæ alia Palæſtinæ Regio, *Aſeritis* omnibus & præſtantiſſimis rebus ad vitæ tum neceſſitatem, tum jucunditatem, affluentiſſima. Tritici ſeges uberrima, olei præſtantiſſimi abundantiſſima copia. *In oleo tinget* Aſer *pedem ſuum.* v. 24. Vinum generoſiſſimum dabat *Sarepta.* Piſces ſapidiſſimos, imò & Purpuram pretioſiſſimam *Mare Tyrium.* Ligna in ævum duratura *Libanus. Ferrum & Æs ſub calceamentis* Aſeris. *Aſer* ergò *metallifoſſor*, uti eum ampla & erudita Diſſertatione exhibet *Erneſtus Fridericus Cobius* Eisfelda-Francus Præſide *Joh. Chriſtophoro Wichmanshauſen*, Ling. Or. Prof. Wittemb. 1722. Lit. viduæ Gerdeſiæ. Æris fœcundus fuit, qui totus Aſeris fuit, *Carmelus* Mons, ὄρος ἱερὸν Διὸς, ut *Scylaci* cluet. En *Heſychii* Teſtimonium ! Κέρμηλος, ἀφ' ἧ χαλκὸς γίνεται. *Cermelus, unde Æs prouenit, ſeu gignitur.* צָרְפַּת *Sarepta*, urbs inter Tyrum & Sidonem media, Aſeritidi contermina, ſed Sidoniorum, ab ipſa metallorum conflatura צָרַף *tſaraph* nomen habere videtur. *Eumæus* ipſe Sidonius patriam ſuam ut Ære diuitem laudat apud *Homerum Odyſſ.* ὁ. v. 424.

Ἐκ μὲν Σιδῶνος πολυχάλκε ἔυχομαι εἶναι.

Ærifera ex Sidone genus mihi glorior eſſe.

Libanum montem Æris feracem deprædicat vel χαλκολίβανος, vox in Apocalypſi obuia, ſi *Æs Libani* vel *Libanenſe* notat, ita eam exponentibus *Andrea* & *Aretha* Cæſarienſibus, Syro atque Æthiope. De Dauide conſtat ex 2. Sam. VIII. 8. eum multum Æris deprompſiſſe ex Urbibus *Hadadezeri, Bethach*, & *Berothai*, quæ *Tibbchath* & *Chun* vocantur. 1. Paral. XVIII. 8. Has autem Urbes ad Libani radices *Emeſam* inter ſeu *Epiphaniam* & *Damaſcum* collocant multi, tanquam *Syriæ Zobæ* oppida, licet hanc ad Euphratem & in Arabiam usque promoueat *Bochartus.* Imò primas Æris fodinas ad Libanum relegat *Matheſius Sarept.* p. 99. b. Alia, quæ in hunc Textum dici poſſunt, linquo Geographis, Criticis, Interpretibus aliis, ablegans inprimis Lectorem ad *Aſerem metallifoſſorem* ſupra & laudatum & citatum.

SUPPLEMENTA IN DEUTERONOMUM.

Deut. Cap. IX. verſ. 9.

Quum aſcenderem in Montem, ut acciperem tabulas lapideas, tabulas fœderis, quod DOMINUS feriit vobiscum, & manerem in Monte quadraginta dies, & quadraginta noctes, quando nec panem comedi, nec Aquam bibi.

Quando aſcendi in Montem, ut acciperem duas tabulas lapideas pacti, quod pepigit vobiscum DEUS: & perſeueraui in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens.

Vide Exod. XXXIV. 28.

Deut. Cap. IX. verſ. 21.

Peccatum quoque veſtrum, quod feciſtis, nempe vitulum, tuli, & igne illum combuſſi, & contudi eum molendo, idque benè, donec puluis fieret tenuis, abjecique puluerem ejus in torrentem, qui è monte defluit.

Peccatum autem veſtrum, quod feceratis, id eſt vitulum, arripiens, igne combuſſi, & in fruſta comminuens, omninoque in puluerem redigens, projeci in torrentem, qui de monte deſcendit.

Vid. Exod. XXXII. 20.

Deut. Cap. XII. verſ. 15. 21. 22.

15. Veruntamen pro omni Animi tui deſiderio mactabis & comedes carnem juxta benedictionem DOMINI DEI tui, quam dedit tibi in omnibus portis tuis, tam immundus, quàm mundus ex ea comedent, quemadmodum Capream aut Ceruum.

15. Si autem comedere volueris, & te eſus carnium delectauerit, occide, & comede juxta benedictionem DOMINI DEI tui, quam dedit tibi in urbibus tuis; ſiue immundum fuerit, hoc eſt maculatum & debile: ſiue mundum, hoc eſt integrum & ſine macula, quod offerri licet, ſicut Capream & Ceruum, comedes.

21. Si verò procul à te fuerit locus, quem elegerit DOMINUS DEUS tuus, ut illuc ponat nomen ſuum, mactabis de armentis tuis & gregibus tuis, quæ dederit tibi DOMINUS, quemadmodum præcepi tibi, & comedes in portis tuis pro omni deſiderio animi tui.

21. Locus autem, quem elegerit DOMINUS DEUS tuus, ut ſit nomen ejus ibi, ſi procul fuerit, occides de armentis & pecoribus, quæ habueris, ſicut præcepi tibi, & comedes in oppidis tuis, ut tibi placet.

22. Et

22. Et ſicut Caprea comeditur atque Ceruus, ſic comedes illa, mundus & immundus pariter veſcentur illis.

22. Sicut comeditur caprea & ceruus, ita veſcèris eis: & mundus & immundus in commune veſcentur.

DEut. XIV. 4. 5. adnumerantur Cerui & Capreæ Animantibus mundis, & 1. Reg. IV. 23. pro menſa Regia Salomonis in parato ſtabant quotidie *decem boues ſaginati, & viginti boues paſcales, centumque oues, præter Ceruos, Capreas, Ibices, ſaginata & altilia.* Ferunt Cerui & Capreæ notas Animantium mundorum characteriſticas, Ruminationem, & Ungulas fiſſas. Imo in Textu noſtro commendatur Animalium horum caro ut delicioſa admodùm, qua veſci poterant Judæi, *& pro deſiderio Animi ſui.* Ita in Prouerbium apud Germanos abiit Caponum caro, quacum comparamus aliam omnem boni guſtus, *es iſt zu eſſen wie Capaunen-Fleiſch.* Numeroſiſſimos fuiſſe, & obuios ubique in Judæa Ceruos, conſtat ex *Æliano*, qui ad finem Libri V. caput habet περὶ τῶν ἐν τοῖς Σύροις ἐλάφων, idque inchoat ita. Οἱ ἐν Σύροις ἔλαφοι γίνονται μὲν ἐν ὄρεσι μεγίσοις, Ἀμάνῳ τε καὶ Λιβάνῳ, καὶ Καρμήλῳ. *In Syria Cerui degunt in Montibus altiſſimis, Amano, Libano, & Carmelo.* Hinc eſt, quòd ut heic, ita alibi quoque in Sacris frequens fiat dictorum Animalium mentio, & ex iis deſumatur non una loquendi ratio. Jer. XIV. 5. *Cerua, quem in agro fœtum peperit, reliquit, quod non ſupereſſet herba,* nempe præ nimia ſiccitate. Cant. II. 7. III. 5. *obteſtatur* ſponſa Eccleſia *fœminas Hieroſolymitanas per Capreas & per Ceruas in agris agentes;* ex quo Loco colligere eſt, demiſiſſe ſeſe hæc Animalia ex Montibus in campos. Eſt aliàs ceruina caro malæ famæ apud Medicos. Τὰ τῶν ἐλάφων κρέατα κακόχυμά ἐςι καὶ δύσπεπτα, καὶ μελαίνης χολῆς γεννητικά. *Sunt Carnes Ceruorum mali ſucci & difficilis coctionis, atramque generant bilem. Simeon Sethi & Aet. Tetrab.* 1. Serm. 2. c. 121. Licet vero in deliciis reponatur Ceruorum & Caprearum caro paſſim in Sacris, exulauit tamen à Sacrificiorum uſu.

Deut. Cap. XII. verſ. 16. 23. 24.

16. Modò ſanguinem ne edatis, ſed in terram effundatis velut aquam.

16. Absque eſu duntaxat ſanguinis, quem ſuper terram quaſi aquam effundes.

23. Modò in hoc ſis firmus, ne ſanguinem edas, (nam ſanguis eſt ipſa anima) ne ergò comedas animam cum ipſa carne.

23. Hoc ſolum caue, ne ſanguinem comedas, ſanguis enim eorum pro anima eſt: & idcirco non debes animam comedere cum carnibus.

24. Non, inquam, comedas ipſum, ſed eum in terram ut aquam effunde.

24. Sed ſuper terram fundes quaſi aquam.

Vid. Gen. IX. 4.

Deut. Cap. XIV. verſ. 7.

Hoc tamen non comedetis ex his, qui ruminationem ſurſum reuocant, & ex his, qui ungulam ſeparant ac fiſſuram, nempe Camelum, Leporem & Cuniculum, quæ quidem ruminationem reuocant, at ungulam non ſeparant, ergò immunda erunt vobis.

De his autem, quæ ruminant, & ungulam non findunt, hæc comedere non debetis, Camelum, Leporem, Chœrogryllum: quia ruminant, & non diuidunt ungulam, immunda erunt vobis.

Vid. Leuit. XI. 4. 5. 6.

Deut. Cap. XIV. verſ. 8.

Et ſus, tametſi ungulam ſeparat, non tamen ruminat, ideo immundus ſit vobis. De carne talium non comedetis, & cadauer eorum non tangetis.

Sus quoque, quoniam diuidit ungulam, & non ruminat, immunda erit: carnibus eorum non veſcemini, & cadauera non tangetis.

Vid. Leuit. XI. 7. 8.

Deut. Cap. XIV. verſ. 9. 10.

9. Hoc verò comedetis ex omnibus, quæ in Aqua ſunt. Quidquid pinnulas habet & ſquamas, comedetis.

10. Quicquid verò pinnulas & ſquamas non habet, immundum ſit vobis.

9. Hæc comedetis ex omnibus, quæ morantur in aquis. Quæ habent pinnulas & ſquamas, comedite:

10. Quæ absque pinnulis & ſquamis ſunt, ne comedatis, quia immunda ſunt.

Vid. Leuit. XI. 9 — 12.

Deut. Cap. XIV. verſ. 11.

Omnem Auem mundam comedetis.

Omnes aues mundas comedite.

Vid. Leuit. XI. 13.

In Latina Verſione noſtra pro *autem* lege *Auem*.

Deut. Cap. XIV. verſ. 12.

Hæc verò ſunt, de quibus non comedetis, Aquila, Accipiter, Aquila marina.

Immundas ne comedatis: Aquilam ſcilicet, & Gryphem, & Haliæëtum.

Vid. Leuit. XI. 13.

Deut. Cap. XIV. verſ. 14.

Omnis quoque Coruus juxta ſpeciem ſuam.

Et omne Coruini generis.

Vid. Leuit. XI. 15.

Deut. Cap. XIV. verſ. 15.

Struthio, Noctua, Cuculus, Niſus juxta ſpeciem ſuam.

Et Struthionem ac Noctuam, & Larum, atque Accipitrem juxta genus ſuum.

Vid. Leuit. XI. 16.

Deut. Cap. XIV. verſ. 16.

Nycticorax, Bubo, Porphyrio. Herodium ac Cygnum, & Ibin.

Vid. Leuit. XI. 16. 17.

Deut. Cap. XIV. verſ. 17.

Ibis, Pelecanus & Mergulus. Ac Mergulum, Porphyrionem & Nycticoracem.

Vid. Leuit. XI. 16. 17.

Deut. Cap. XIV. verſ. 18.

Ciconia, Graculus juxta ſpeciem ſuam. Upupa & Veſpertilio. Onocratulum, & Charadrium, ſingula in genere ſuo: Upupam quoque & Veſpertilionem.

Vid. Leuit. XI. 19.

Deut. Cap. XIV. verſ. 19.

Quidquid ex volucribus repit, immundum ſit vobis, nec comedatur. Et omne, quod reptat & pennulas habet, immundum erit, & non comedetur.

Vid. Leuit. XI. 20.

Deut. Cap. XIV. verſ. 20.

Omnem vero Volucrem mundam edere poteſtis. Omne quod mundum eſt, comedite.

INferre licet ex v. 11. quo eſus Auium mundarum eſt conceſſus, & collatis Lev. XI. 21. 22. ubi mentio fit *volucrium reptantium*, ſiue Inſectorum, etiam mundorum, quod heic per עוף *oph*, & in Leuitico per שֶׁרֶץ הָעוֹף *Scherets haoph* intelligi debeant non Aues propriè ita dictæ, τὰ πετεινὰ τῶν ἑρπετῶν, ſed Animalia volatilia ſimul & reptantia, & in ſpecie Locuſtæ.

Deut. Cap. XIV. verſ. 21.

Ne edatis ullum morticinum, ſed peregrino, qui eſt intra portas tuas, dabis illud, ut ipſum comedat, aut vendas ipſum alieno, quia tu populus ſanctus es DOMINO DEO tuo. Ne coquas Hoedum in lacte matris ſuæ. Quicquid autem morticinum eſt, ne veſcamini ex eo: peregrino, qui intra portas tuas eſt, da ut comedat, aut vende ei: quia tu populus ſanctus DOMINI DEI tui es. Non coques Hoedum in lacte matris ſuæ.

Vid. Exod. XXIII. 19.

Deut. Cap. XXII. verſ. 11.

Ne induas veſtem, quæ ex Lana & lino ſimul contexta eſt.

Non indueris veſtimento, quod ex Lana linoque contextum eſt.

Vid. Leuit. XIX. 19.

Deut. Cap. XXIII. verſ. 12. 13.

12. Locus quoque ſit tibi extra Caſtra, ad quem foras egrediaris.

13. Lignumque præacutum in baltheo, cum quo foris ſedens fodias, conuerſusque operias excrementum tuum.

12. Habebis locum extra Caſtra, ad quem egrediaris ad requiſita naturæ.

13. Gerens paxillum in baltheo: cumque ſederis, fodies per circuitum, & egeſta humo operies, quo reuelatus es.

VIdimus ſupra occaſione Lepræ aliorumque Morborum immundorum, eam ab Iſraelitis excultam fuiſſe vitæ puritatem, quam nullus unquam ullibi locorum obſeruauit Exercitus. Teſtimonium hujus rei euidentiſſimum eſt Lex, quæ præcipitur in Textu, ſed non ita intelligenda venit, quod qui officio hocce Naturæ neceſſario defungi debebat, exeundum habuerit extra omnia tria Caſtra, qualia fuere in Deſerto, id enim neque conueniſſet cum innumera Hominum multitudine, neque cum viæ longinquitate. Sed applicanda eſt futuris quibusuis Caſtrametationibus, quod conſtat ex v. 9. *Quum egreſſus fueris cum exercitu contra hoſtes tuos, cuſtodies te ab omni re mala.* Et præcauere vult Legislator cumprimis morbis caſtrenſibus epidemicis, peſtilentialibus, qui ſi corripiant Exercitum, inprimis in Orientalibus illis Regionibus, ingentes edunt ſtrages, diſperſis μιάσμασι noxiis majori copia, majorique velocitate per Aera, pro intenſiori gradu caloris. Docet nos Experientia, Dyſenteriam in ſpecie mediantibus halitibus Excrementorum ab una domo in aliam, in Caſtris ab uno Tentorio ad aliud, ab una Cohorte in aliam, transire facillimè, & vel ea propter injungi effuſionem fæcum aluinarum in aquam fluentem, vel etiam earundem defoſſionem ſub Terra.

Deut. Cap. XXIX. verſ. 5.

Vid. Deut. VIII. 4.

Deut. Cap. XXIX. verſ. 23.

Sulphure & Sale exurentibus uniuerſam Terram ejus, ut ſeminari non poſſit, non germinante, neque exoriente in ea ulla herba, ſicut in loco ſubuerſionis Sodomæ & Aemoræ, Admæ & Zeboim, quas ſubuertit DOMINUS in ira ſua atque furore ſuo.

Sulphure & Salis ardore comburens, ita ut ultra non ſeratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum ſubuerſionis Sodomæ & Gomorrhæ, Adamæ & Seboim, quas ſubuertit Dominus in ira & in furore ſuo.

DE Excidio illo triſti Sodomæ ac Gomorræ actum fuſius ad Gen. XIX. 24. &c. Ibi legas *Sulphur & Ignis* heic *Sulphur & Sal.* Inde conjectat *Guil. Clarke* in *Hiſt. Nat. Nitri* c. 2. p. 34. per *Ignem* intelligi debere *Sal Nitri:* Si conjecturæ huic eſt locus, conferri poteſt commodè materia illa ſuper maledictas urbes effuſa Pulueri Pyrio, cujus ſtupendas vires hodie multæ urbes atque Fortalitia experiuntur, atque deplorant, proprio exitio.

LIBRI

Ios. cap. II. v. 6.
Exploratores sub lino.

Buch Josua Cap. II. v. 6.
Verborgene Kundschaffter.

I. G. Pintz sculps.

Ios. Cap. II. v. 9-24.
Canaanitæ perterriti.

Buch Josua Cap. II. v. 9-24.
Die erschrockene Canaaniter.

M. Tyroff sculp.

LIBRI HISTORICI.

LIBER JOSUÆ.

TAB. CCCLXV.

Jos. Cap. II. vers. 6.

At ipsa duxit eos sursum super Tectum, absconditque eos sub cauliculis Lini, qui structi erant ei sub Tecto.

Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domus suæ, operuitque eos stipula lini, quæ ibi erat.

DE *Tectis* Judæorum, aliorumque Orientalium Populorum planis egimus ad Deut. XXII. 8.

פִּשְׁתֵּי *Cauliculi Lini, Flachs-Stengel* Nobis, LXX. λινοκαλάμη. Dubitet quis, an intelligi debeant integri Lini cauliculi, quales ex Agris domum portantur, vel ἀποσπασμάτια illa ex Lini ipsius separatione residua in cumulos congeri solita? Linum certè ipsum separatum haud est. Quicquid illorum sit, potuere exploratores abscondi sub cauliculis integris æquè ac fractis. In Originali legitur בְּפִשְׁתֵּי הָעֵץ *in linis Ligni*, per hypallagen pro *Lignis Lini*, ubi obseruandum, עֵץ *etz*, *Lignum* Orientalibus populis significare omne id, quod Ignem susçipit, & in flammam atque cineres abit. Locus extat *Ulpiani in Digg.* L. XXXII. *Leg.* 55. *Ligni* §. 5. *Lignorum appellatione in quibusdam Regionibus, & in Ægypto, ubi Arundine pro Ligno utuntur, & Arundines & Papyrus comburitur, & herbulæ quædam vel Spinæ vel Vepres continebuntur.* Dubitat nihilominus *Hillerus Hierophyt.* P. II. p. 131. an paruulus Lini cauliculus Ligni mereatur nomen, & suffragium potius dat *Cannabis* cauli, quæ Planta ramis latè diffusis arbusculæ præbeat speciem, & ex ipso hoc stipite quidem faciant Carbones pyrio pulueri parando utiles. Lectori interim utramque Plantam sisto. Seligat is quam velit. *Linum* commune satiuum quia alibi jam exhibuimus, sistere nunc lubet ex splendido opere Ill. *Sloanii Hist. Nat. Jamaic.* vol. I. p. 206. Tab. 130. *Linum scandens flore dilute purpureo semine triangulari:* An *Linum sarmentosum seu volubile Jamaicanum flore cœruleo. Plukenet Almag.* p. 224. Fig. A. *Cannabis* Fig. B.

TAB. CCCLXVI.

Jos. Cap. II. vers. 9. 24.

9. Dixitque ad viros: Noui, quod DOMINUS tradiderit vobis hanc Terram, irruit enim Terror vester super nos, omnesque Terræ hujus habitatores consternati (a) sunt metu vestri.

9. Et ait ad eos: Noui, quod DOMINUS tradiderit vobis Terram: etenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores Terræ.

(a) Ebr. liquefacti sunt à facie vestra, seu resoluti.

24. Dixerunt autem ad Jehosua: DOMINUS tradidit uniuersam

24. Atque dixerunt: tradidit DOMINUS omnem terram hanc in

terram in manum nostram; metu nostri omnes habitatores Terræ istius diffluxerunt.

manus nostras, & timore prostrati sunt cuncti habitatores ejus.

MEmorabile heic, si in Sacro Codice ullibi, si in toto Terrarum Orbe unquam occurrit *Metus* Exemplum, *Terroris*, qui à DOMINO *irruit* non in Mortalium unum, non in decem, centum, *sed in omnes Terræ* Canaaniticæ *habitatores*, qui omnes *consternati*, juxta originale נָמַגּוּ *namogu liquefacti* sunt, à מוג *mug liquefactus*, nempe præ metu. Vocem hanc omisere LXX. in Codicibus Aldino, Alexandrino, & Romano. Sed Complutensis habet v. 9. καὶ κατέπτησσαν πάντες οἱ κατοικοῦντες τὴν γῆν ἀφ' ὑμῶν.

Sunt equidem omnes *Animi Passiones* Ventis impetuosis, imò Turbinibus similes, quæ placidum Mare, Sanguinis Massam, Neruorum subtilissimum fluidum, imo totum Hominem in fluctus spumosos concitant, & quoties irruunt, totum ex Anima & Corpore compositum, integrum Hominem consternunt, & prosternunt. Sed est una ex impetuosioribus, & periculi plena, *Metus* siue *Terror*, quæ pro objecto habet imminens malum. Fugit id Anima nostra, & sese ipsa veluti in seipsam contrahit quasi, non videns extra se, quò se vertat, aufugium. Salutem quærunt reflui ad Cerebrum Spiritus veluti in Castris Prætorianis, sed & heic motibus inordinatis discurrunt anxii: stant comæ, vox faucibus hæret. Tardigradus est fluidi hujus neruei in exteriora Sensus & Motus Organa influxus, speciatim vero in Corporis Machinam primariam, Cor: remittunt in tensione Nerui. Hinc non mirum, refrigescere extrema, pallescere faciem, sudorem prodire frigidum per Cutis poros, laxari Sphincteres alui & Vesicæ, vincula Linguæ, congeri Sanguinem & tantùm non coagulari in Cordis Thalamis: qui coagulationis status oppositus prorsus videtur illi *liquefactionis* vel *dissolutionis*, de quo Textus. Hic nodus ut soluatur, sciendum, in ipsa Laticis sanguinei coagulatione, siue partium viscidiorum congestione fieri quoque fluidiorum separationem, proin veram liquefactionem. In statu hocce est optimum remedium Ratio sana, quæ dominium arripit, & fluidum nerueum ad extremas partes amandat, Imperatorio veluti jussu. Hæc ipsa verò si nihil inueniat aufugii, nihil auxilii, seipsam veluti sepelit in corpusculo viuo, sed debili, præcipitatque in *Desperationem*, vel & dubia anxiaue media quæcunque obuia arripit, naufragium euasura, sicque transit in *Audaciam* siue *Temeritatem*, ubi omnia minantur exitium, Cor violentam patitur & concussionem & contractionem, Musculi corporis totius in vagos cientur Motus, roborantur Brachia, Vultus toruam induit faciem. Et constabit ex ipso Historiæ Josuæ, quam tractandam sumsimus, progressu, præcipitasse se Canaanitas ex Terrore ac Metu in bina hæc extrema, Desperationem & Temeritatem, id quod passim obseruare licet in Melancholicis & Maniacis.

Ex hac Metus Terrorisque Ætiologia haud difficulter concipere licet, quomodo *Cor Nabalis emortuum fuerit in ipso, & factum tanquam lapis*, postquam nempe euaporauerat Vinum, & Dauidis generosa declaratio fuerat Euclioni illi ab Abigaele indicata. 1. Sam. XXV. 37. Ita *corruerat* Saul *ilico in terram quantus quantus erat*, nam *timuit vehementer à verbis Samuelis, ut nullum robur esset amplius in eo. (Statimque Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis, & robur non erat in eo.)* 1. Sam. XXVIII. 20. Ita *Daniel* de seipso: *Per hanc apparitionem in me conuersi sunt cardines mei, nec vires retinui. — Me virtus modo destituit, neque in me reliquus est factus spiritus vitalis.* X. 16. 17. *(In visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium. — nihil enim in me remansit virium, sed & halitus meus includitur.) Jobo* Patientiæ illi Exemplari *Cor expauescebat, ac luxabatur è loco suo.* XXXVII. 1. Ita *forma Regis Belsazar immutata est, & cogitationes suæ perturbauerunt eum, vinculaque lumborum illius soluta, & genua mutuum colliса sunt.* Dan. V. 6. Et quod heic de Canaanitis legimus, consectarium fuit imprecationis Mosaicæ, Exod. XV. 16. *Cadat super eos tremor & pauor, in magnitudine brachii tui obstupescant quasi lapis, donec pertransierit populus tuus, o* DOMINE! *(Irruat super eos formido & pauor: in magnitudine brachii tui, fiant immobiles quasi lapis: donec pertranseat populus tuus,* DOMINE!)

TAB.

Ios. Cap. III. v. 4-14.
Transitus per Iordanem.

Buch Josua Cap. III. v. 4-14.
Israel geht durch den Jordan.

M. Tyroff sculps.

TAB. CCCLXVII.

Joſ. Cap. III. verſ. 4. 13. ad fin.

4. Sic tamen, ut ſpatium ſit inter vos & illam circiter duo millia Cubitorum, ne ad illam appropinquetis, ut ſciatis, qua via vobis ſit incedendum, nam hac via antea non inceſſiſtis.

13. Et quum conſtiterint Plantæ pedum Sacerdotum, qui portant Arcam DOMINI Dominatoris uniuerſæ Terræ, intra Aquas Jordanis, Aquæ Jordanis ſcindentur, & Aquæ illæ, quæ ſupernè defluunt, conſiſtent inſtar muri.

14. Factum eſt autem, quum proficiſceretur Populus è Tabernaculis ſuis, ut transiret Jordanem, (ibant) ante populum Sacerdotes, qui portabant Arcam Fœderis.

15. Quumque hi, qui Arcam Fœderis portabant, ingrederentur Jordanem, pedesque Sacerdotum, qui Arcam ferebant, tincti eſſent in prima parte Aquarum. (Solet enim Jordanis ſuper omnes ripas ſuas cunctis diebus Meſſis effundi.)

16. Conſtiterunt Aquæ, quæ ſupernè defluebant, inſtar Muri, valde procul à ciuitate Adam, quæ erat à latere Zarthani, quæ verò infra erant (aquæ) defluebant ad Mare ſolitudinis, mare ſcilicet Salis, ſeparatæ defecerunt, transiitque populus à regione Jericho.

17. Stabant autem Sacerdotes, qui portabant Arcam Fœderis DOMINI, in ſicco in medio Jordane præparati, & cunctus Iſrael

4. Sitque inter vos & arcam, ſpacium cubitorum duûm millium: ut procul videre poſſitis & noſſe, per quam viam ingrediamini: quia prius non ambulaſtis per eam, & cauete, ne appropinquetis ad arcam.

13. Et cum poſuerint veſtigia pedum ſuorum Sacerdotes, qui portant Arcam DOMINI DEI uniuerſæ terræ, in Aquis Jordanis, Aquæ quæ inferiores ſunt, decurrent atque deficient; quæ autem deſuper veniunt, in una mole conſiſtent.

14. Igitur egreſſus eſt populus de Tabernaculis ſuis, ut tranſiret Jordanem: & ſacerdotes, qui portabant Arcam Fœderis, pergebant ante eum.

15. Ingreſſisque eis Jordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis: (Jordanis autem ripas aluei ſui tempore Meſſis impleuerat.)

16. Steterunt aquæ deſcendentes in loco uno & ad inſtar Montis intumeſcentes apparebant procul ab urbe, quæ vocatur Edom, usque ad locum Sartham: quæ autem inferiores erant, in Mare ſolitudinis, (quod nunc vocatur mortuum) deſcenderunt, usque quo omninò deficerent. Populus autem incedebat contra Jordanem.

17. Et ſacerdotes qui portabant Arcam Fœderis DOMINI, ſtabant ſuper ſiccam humum in medio Jordanis accincti, omnis-

transibat in ſicco, donec uniuerſus populus perfectè transiiſſet Jordanem.

que populus per arentem alueum tranſibat.

DEbebat, ex deuota Iſraelitarum erga Arcam veneratione, *ſpatium* inter illos & hanc eſſe *circiter duo millia Cubitorum*, id eſt 3333. pedum Pariſinorum, quibus addere, ſi lubet, poteris 1. pollicem, 4. Lineas. Conſtant hæc ex v. 4. & à *Clerico* intelliguntur duntaxat de Itineris progreſſu, non de caſu præſenti. Sed videtur mihi applicabile hoc Præceptum ad Transitum per Jordanem. Stabat, quod ex ſequentibus patebit, Arca in medio Fluminis alueo, & defendebat, paries uti intergerinus defendit Ædem ab incendio, Populum DEI ab irruptione Fluuii & inundatione. Defluebat Aqua infra Arcam verſus Mare mortuum, & poterat adeò Transitus fieri 2000. Cubitorum ſpatio infra Arcam, ut in Tabula videre licet.

Stupendum heic occurrit, μέγα λίαν θαῦμα. Stat Fluidum contra, imo ſupra Naturæ vires, perpendiculariter Muri ad inſtar erectum: perdunt globuli Aquei & Grauitatem in ſe mutuam, & inteſtinum motum, vel ſaltem non exſerunt. Exercitus prorſus ſingularis & ſui generis, in quo Aciem primam conſtituit Arca lignea à Sacerdotibus nonnullis geſtata, imò DEUS Ter Optimus, Ter Maximus, Exercituum DOMINUS, qui Prætorianis militibus haud opus habet: ubi Lorica extructa ex Aqua contra fluentis Aquæ impetum: ubi oppoſitæ ripæ non ſtipantur Hoſtium numeroſo Exercitu, ſed ſolus & inuictus toti Naturæ hoſtis eſt Aqua, victus ab Eo, qui in ipſa Creatione *congregari* juſſit *Aquas*, *ſub expanſione*, *ſub cœlis*, *unum in locum*, *ut appareret continens*. Gen. I. 7.9. Victoria reportata, non de Exercitu Canaanitico, ſed fluido & mobiliſſimo Elemento, imo de Natura ipſa, & Motus Legibus, adſcribenda Authori Naturæ, *Dominatori uniuerſæ Terræ*. v. 13. Eſt hoc Phænomenon infinitis diſtans paraſangis à Naturæ terminis, per conſequens & omni Ratiocinio Philoſophico ſuperius. Poſito licet, quod vult *Grew Cosmol. Sacr.* L. IV. c. 5. ſpiraſſe Ventum, quem Tornado vocant, contra Jordanem, de quo tamen nullum extat indicium in Sacro Codice, non plus tamen is contribuere poterat ad ſuſpenſionem vel erectum ſitum Aquarum, quàm contulit ille Orientalis in Transitu populi Iſraelitici per Mare Rubrum. Miraculo aſſurrexere Aquæ in cumulum, potentiſſima DEI manu ſuffultæ.

Debebat Miraculo hocce fides Iſraelitarum firmari, & Prophetiæ addi pondus. *Dixit* DOMINUS *ad Jehoſuam: Hodie incipiam te magnificare in oculis totius Iſraelis, ut intelligant, me tecum fore, quemadmodum fui cum Moſe.* Joſ. III. 7. & v. 10. *In hoc cognoſcetis, quod DEUS viuens ſit in medio veſtri, & omnino expellat ante vos Chananæum, &c.* Eodem ſtylo utitur Moſes Numer. XVI. 28. *In hoc cognoſcetis, quod DOMINUS miſerit me, ut facerem cuncta iſta opera, neque ex corde meo.* Quapropter Imperator prædixit ante, quod venturum mox erat: *Quum conſtiterint Plantæ pedum Sacerdotum — intra Aquas Jordanis*, id eſt, ſtatim atque intrabunt illi Flumen, *Aquæ Jordanis ſcindentur, & Aquæ illæ, quæ ſuperne defluunt, conſiſtent inſtar muri*, v. 13. Et ecce ſtat DEUS promiſſis; adimpleta ad Literam, quæ Belli Dux θεόπνευστος prædixerat. *Conſiterunt Aquæ, quæ ſuperne defluebant, inſtar Muri — quæ verò infra erant Aquæ, defluebant ad Mare.* v. 16.

Lucem fœneratur & Miraculo & Ratiocinio Temporis, quo illud contigit, circumſtantia. Demeretur aliquid ſaltem de Miraculi Magnitudine, ſi contigiſſet transitus eo tempore, quo Jordanem vidit *Bellonius*, qui ita L. II. c. 86. *Amnis Jordanis à ſeptentrione in Meridiem tendit, non adeo latus, quin puer lapidem in contrariam partem jacere poſſit, ſeptem aut octo forte orgiarum latitudinis: alueique non adeò profundi, ut nauis per eum vehi poſſit.* Contigit Miraculum eo tempore, quo Fluuius ſummum attigit accrementum, tempore Meſſis, *ſolet enim*, ita Sacer Textus v. 15. *Jordanis ſuper omnes ripas ſuas cunctis diebus Meſſis effundi.* Et comparat Siracides XXIV. 28. *fœcundum ingenium Jordani*, ut eſt *tempore Meſſis.* Idem tradit de *Eridano Polybius Hiſt.* L. II. de *Nilo Philo Lib. de profugis* p. 476. *Glycas Annal.* Part. I. p. 10. *Theophylactus Hiſt.* L. VII. c. 17. ubi ita. Θέρες τοίνυν ἀκμάζοντος τὰς αὐξήσεις λαμβάνει ἐναντίον τῇ φύσει τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην ἅπασαν ποταμῶν. *Adulta Æſtate incrementum accipit contra Naturam Fluminum, quæ in uniuerſo Orbe Terrarum ſunt.* De omnibus Europæ Fluminibus, qui ex Montibus iis, in ſpecie ex Montibus niue tectis oriuntur, nouimus altiſſima eſſe media Æſtate. Par ratio erit Jordanis, qui è Libano monte oritur teſte *Joſepho Ant.* L. V. c. 1. Par erit & *Euphratis* Syrac. l. c. & aliorum Fluminum Aſiaticorum. Neque in obſcuro eſt ratio. Hyeme parum Niuis ſoluitur in Montibus, Æſtate plurimum. Dat autem Libano perennem niuem Jeremias XVIII. 14. *Num ager deſerit niuem Libani, quæ de petra fluit? Num deſerentur aquæ alienæ frigidæ fluentes? (Numquid deficiet de petra agri nix Libani? aut euelli poſſunt aquæ erumpentes frigidæ, & defluentes?)* Ad quem locum *Hieronymus*, qui Regionem illam incoluit: *Quando Nix de Libani ſummi-*

summitatibus deficere non potest: nec ullo, ut omnis liquescat, Solis ardore superatur; fluentesque de montibus riui nequaquam siccantur in fontibus: sic meum nomen, quod per se stabile est atque perpetuum, non poterit immutari. Hinc non mirum, exundare Libanum messis tempore. Affulget Lux ex I. Paral. XII. 15. *Hi* (Gaditæ) *sunt, qui trajecerunt Jordanem mense primo, quum exundaret omnibus ripis suis.* Ex hoc quippe Loco constat, intelligendam esse primam Messem Hordei, non secundam Tritici. Et fuit fortè hæc temporis circumstantia, qua *Maundrellus* A. 1697. vidit Jordanem eò loci, quo Jerichunti est vicinus, in sexaginta pedum latitudine circiter, & rapiditate tanta, ut nemo in aduersum ejus natando obniti possit. Conf. *Theuenot.* P. I. L. II. c. 41.

De Aquis superioribus, quid eis euenerit, quousque assurrexerint, dubias Quæstiones mouent curiosuli, & mouent potius, quàm soluunt. Verissimum id, quod legitur v. 16. *Constiterunt Aquæ, quæ superne defluebant, instar Muri. (Steterunt aquæ descendentes in loco uno & ad instar Montis.)* Quæ verba adeo sunt clara, ut sibi ipsis sint Commentarius. Ascenderunt Aquæ in cumulum, & veluti murum constituerunt ab una Fluuii ripa ad oppositam, imò, si Lugendistis Judæis in Tr. *Sota Babyl.* c. 7. fol. 34. a. fides, prælatum; 12. milliaria statuit R. *Juda:* sed R. *Eliezer* his nondum contentus ad 300. ascendit milliaria, & ultra, impositis porticibus super porticibus, donec omnes Orientis & Occidentis Reges eas viderent. Hæc narrasse est refutasse. Assurrexisse altius, quàm quidem fuerant ante, in fluxu suo ordinario, concedi potest facile, nisi Miraculum velis continuatum usque ad Fontes Libani, saltim descensum Aquarum cohibitum ex Lacu Tiberiadis; id quod statuere necesse est, si velimus euitare inundationes vicinarum Jordani Regionum, de quibus nil legimus in Sacris. Quapropter sunt, qui refluxisse volunt versus fontes, & hujusmodi prodigia allegant ex Historia Romana. *Amnes*, ita *Plinius* L. II. c. 103. *retrò fluere & nostra vidit ætas Neronis Principis annis supremis.* Idem de Vulturno & Glani, Campaniæ fluuiis tradit *Dionysius Halicarnass. Rom. Antiq.* L. VII. p. 419. *omisso naturali cursu vertisse cursus suos, aliquamdiu ab ostiis retrocedentes ad fontes suos,* ἀφέντες τὰς κατὰ φύσιν ὁδὸς ἀνέςρεψαν τὰ ῥέυματα καὶ μέχρι πολλοῦ διετέλεσαν ἀπὸ τῶν ςομίων ἀναχωρέντες ἐπὶ τὰς πηγάς, eo nempe tempore, quo Hetrusci ad exscindendas Cumas profecti essent. Hujusmodi prodigii, quod heic locum non habet, causas merè naturales jam olim detexit *Seneca Nat. Quæst.* 4. L. 3. *Si crebrioribus ventis ostium cæditur & reuerberatur fluctu amnis restitit; qui crescere videtur, si non effunditur.* Ita quoque *Horatius* Lib. I. Od. 2.

> Vidimus flauum Tiberim, retortis
> Litore Etrusco violenter undis,
> Ire dejectum monumenta Regis
> Templaque Vestæ.

Alia Exempla aliis ratiociniis sociata videsis in Historia miraculosi transitus Israelitarum per Mare Rubrum, quem hujusmodi nebulis obfuscare tentarunt nonnulli.

Prosequimur nos filum Transitus, de quo nunc, miraculosi; stabat, hoc durante, Arca Sacerdotibus suis stipata in Jordanis medio alueo, veluti antemurale contra Aquas Jordanis erectas instar muri stantes. *Stabant Sacerdotes, qui portabant Arcam Fœderis DOMINI in sicco in medio Jordane præparati, & cunctus Israel transibat in sicco*, nempe 2000. cubitorum spatio infra Arcam, *donec uniuersus Populus perfecte transiisset Jordanem.* v. 17. In hac profectione mutatus fuit Castrorum situs, mutata acies prima in postremam. *Quumque jam transisset omnis populus, transibat & Arca DOMINI.* Jos. IV. 11. Suspensæ proin miraculo manebant Naturæ Leges, donec omnis transierit exercitus, restitutæ Arcâ alueo exportata. *Factumque est, cum ascendissent Sacerdotes ferentes Arcam DOMINI è medio Jordanis, extractæque essent plantæ pedum in siccum, reuersæ sunt aquæ Jordanis in locum suum, inundaruntque super omnes ripas ejus sicuti heri & nudius tertius.* Jos. IV. 18. *(Cumque ascendissent portantes Arcam Fœderis DOMINI, & siccam humum calcare cœpissent, reuersæ sunt aquæ in alueum suum, & fluebant sicut ante consueuerant.)* Nouum heic fingunt somniantes Judæi miraculum: stabant juxta eos Sacerdotes cum Arca in citeriori aluei latere; reuersæ erant Aquæ ad pristinum statum, postquam trajecit omnis Exercitus: separabat Sacerdotes à Populo fluuius; tunc auulsit Arca plantas pedum sacerdotum, & portauit portitores suos, transtulitque eos super Aquas; tranauit adeò Arca unà cum sacerdotibus. Ita *Raschi* ad v. 18. *Schmuel Laniado* in *Cle chemda* fol. 172. *Col.* 3. *Reschith Chochma* fol. 108. Legatur pluribus *Andreas Herman. Münter* Osteroda-Hannoueranus *Disp. de Transitu Israelitarum per Jordanem*, Jos. III. 15. 16. Præs. D. *Jo. Georgio Abicht*, Lipsi. 1712. 4. Lit. *Brandenburgerianis.*

TAB. CCCLXVIII.

Joſ. Cap. V. verſ. 2. 3.

Tunc temporis dixit DOMINUS ad Jehoſuam: fac tibi cultros (a) acutos, & effice denuo, ut filii Iſrael ſecundo circumcidantur.

(a) Al. legunt lapides acutos, vel cultros lapideos.

Et Jehoſua fecit ſibi cultros acutos, & circumcidit filios Iſrael in colle præputiorum.

Eo tempore ait DOMINUS ad Joſue: fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundo filios Iſrael.

Fecit quoque quod juſſerat DOMINUS, & circumcidit filios Iſrael in colle præputiorum.

IN moleſto ſatis 40. Annorum per Deſerta Itinere conuicti eſſe poterant per innumera & quotidiana Miracula Iſraelitæ de pacti Diuini cum Majoribus initi ſeruatione; ſuſpenſum proin & per omne illud tempus omiſſum ordinarium Fœderis ſignum Circumciſio, quæ inter tot Itineris incommoda locum habere non poterat. Fuſius hæc exponuntur v. 4. & ſeqq. Nunc eſt, ceſſantibus partim, partim diminutis numero Miraculis, populus integer incircumciſus nouo eoque ordinario Fœderis ſigno cum DEO uniendus.

Inſtrumenta operationis hujus, doloroſæ ſatis, in Natione integra & numeroſa inſtituendæ erant חַרְבוֹת צֻרִים *Charboth tſurim*, quæ voces non eodem apud Interpretes ſumuntur ſenſu. *Jonathan* Chaldæus *Nouacula acutas*. LXX. μαχαίρας πετρίνας ἐκ πέτρας ἀκροτόμε, i. e. *cultros acutos ex petra acuta*. Chaldæum ſequitur *Raſchi*, *R. Leui Ben Gerſon*, *Abeneſra*, *Kimchi*, *Abarbanel*, Judæorum doctiſſimi. Ex Chriſtianis *Theodoretus*, *Auguſtinus*, *Origenes*, alii LXX. Nos Tigurini in Vernacula Verſione, & Interpretes alii benè multi, cultros lapideos, i. e. ex lapide, ſaxo, vel petra confectos. Ut Gen. III. 21. כָּתְנוֹת עוֹר *tunicæ pellis* ſunt veſtes pelliceæ, ex pellibus confectæ. Gen. VI. 14. תֵּבַת עֲצֵי גֹפֶר *Arca Lignorum Gopher*, i. e. ex Lignis Gopher.

Manemus nos in Cultris lapideis, interpretationem hanc illuſtraturi exemplis & rationibus ex Hiſtoria Naturali petitis. Romani Lapidem hujusmodi acutum vocabant *Teſtam*, hinc *Samia teſta* pro lapide omni acuto, ſcindere apto. Cujusmodi Teſta *Atys* genitalia ſibi deſecuit, teſte *Arnobio aduerſus Gentes* L. V. p. 94. ubi quidem *fiſtula* legitur pro *teſtula*. *Ouidius* L. IV. Faſtorum v. 237. *ſaxum* vocat *acutum*.

Ille etiam ſaxo corpus laniauit acuto:
Longaque in immundo puluere tracta coma eſt.
Vox fuit: merui: meritas do ſanguine pœnas:
Ah pereant partes, quæ nocuere mihi!
Ah pereant! dicebat adhuc, onus inguinis aufert;
Nullaque ſunt ſubito ſigna relicta viri.

Ita *Plinio* teſte L. XXXV. c. 12. *Samia teſta Matris Deûm Sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant.* Et notum, Americanos Naturæ neceſſitate edoctos ante Europæorum aduentum ferrique uſum ſcindentium Inſtrumentorum loco adhibuiſſe Lapides. Dantur nempe & Achatæ, & ſilicei pyritæ, quorum fragmina omni fere Ferro acutius ſcindunt, imo Ferrum ipſum Adamantis ad inſtar. Imò in Sacris legimus Exod. IV. 25. *Ziporam arrepto acuto ſilice abſcidiſſe præputium filii ſui. (Tulit ilicò Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filii ſui.)* Ad quem locum ex Antiquitatis monumentis delineari curaui hujusmodi ſilices acutos ſectioni vel ſciſſioni olim adhibitos. Plura in hanc rem, & renouatam hanc ſolenniter Circumciſionem videſis in erudita Diſſertatione *Joh. Philippi Seſemann* Numburgenſis *de Cultris ſaxeis in Circumciſione à Joſua denuo inſtituta uſurpatis ad* Joſ. V. 2. Præſ. D. *Joh. Georgio Abicht*, P. P. Lipſ. 1712. Lit. *Brandenburgerianis*.

Ios. Cap. V. v. 2. 3.
Circumcisio Galgalitica.

Buch Josua Cap. V. v. 2. 3.
Die Beschneidung zu Gilgal.

M. Tyroff sculps.

Ios. Cap. VI. v. 20.
Lapsus murorum Hierichuntis.

Buch Josua Cap. VI. v. 20.
Einfallende Mauren zu Jericho.

M. Tyroff sculps.

TAB. CCCLXIX.

Joſ. Cap. VI. verſ. 20.

Jubilans igitur populus clanxerunt cornibus. Quumque audiſſet populus ſonum Cornu, vociferabatur & ipſe Populus jubilo magno, & corruit murus ſubter ſe, aſcenditque populus in Urbem, quisque ſuo loco, & ceperunt ciuitatem.

Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, poſtquam in aures multitudinis vox ſonitusque increpuit, muri illico corruerunt: & aſcendit unusquisque per locum, qui contra ſe erat: ceperuntque ciuitatem.

Hierichuntinæ urbis obſeſſæ & occupatæ heîc obuium Exemplum, cui ſimile non vidit orbis, nec videbit. Nihil heîc legimus de conſiliis Imperatoris bellicis, nîl de modo explorandi aditus, nîl de circumuallatione commoda, & aggreſſione. Nullus ſubducitur calculus de neceſſariis ad obſidionem: non attenditur ad locum, qui omnium maximè ſit debilis, & occupatu facillimus: Non excauantur Foſſæ, non aperiuntur Adductus. Nulla habetur conſideratio præſidii, an numeroſum ſit, nec ne? Non ſeliguntur ſorte officiarii, qui vel acceſſuum foſſas ingredi, vel expugnationem ipſam dirigere debeant, & dare effectui. Non præſtò ſunt Arietes, non Plutei, Teſtudines, aliæue Machinæ bellicæ. In Theocratia viuitur: DEUS Exercituum DOMINUS ordinat, dirigit, ſolus efficit omnia. Aciei ordinem mandat, aggreditur munitam urbem, ſubruit muros. Aggreſſio fit ſolo clangore Tubarum, & vociferatione magna Populi. Non exponitur ulli periculo vel gregariorum infimus. En mandatum DOMINI! v. 3. *Circundabitis urbem omnes, qui bello apti ſunt, circumeundo ſcilicet urbem ſemel, idque facietis ſex diebus: & ſeptem Sacerdotes ferant ſeptem Cornua arietina ante Arcam. Septimo verò die circumibitis ciuitatem ſepties, claſſicumque canant Sacerdotes cornibus. (Circuite urbem cuncti bellatores ſemel per diem: ſic facietis ſex diebus. Septimo autem die Sacerdotes tollent ſeptem buccinas, quarum uſus eſt in Jubilæo, & præcedent arcam fœderis: ſeptiesque circuibitis ciuitatem, & ſacerdotes clangent buccinis.)* En promiſſum! v. 5. *Cum cornu arietino ſonum incenderint, vosque ſonum cornu audieritis, vociferetur uniuerſus populus magno claſſico, tunc corruet murus urbis ſubtus ſe, aſcendatque populus, quisque ante ſe. (Cumque inſonuerit vox tubæ longior atque conciſior, & in auribus veſtris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent ciuitatis: ingredienturque ſinguli per locum, contra quem ſteterint.)* Fuere hæc omnia, ut præcepta, ita executioni data. Et erit memorabilis planè Murorum Hierichuntinorum collapſus Thema præſentis Tractationis.

De ſtupendo hoc Phænomeno non idem judicant omnes. *Paraphraſtes Chaldæus*, *Vatablus*, *Pagninus*, Codex *Berach*, *R. Kimchi*, *R. Jon Ben Uziel*, *Lud. Lauaterus*, *Spangenberg*, *Magalianus*, *Eman. Saa*, *Lud. de Tena*, *Guil. Eſtius*, *Cajetanus*, alii volunt, muros non fuiſſe collapſos, ſed intra Terram abſorptos, ut ex iis nihil, juxta alios parum ſupereminuerit. Hinc originalem Textum ita reddit *Arias Montanus: Cecidit murus urbis, & abſorptus eſt ſubtus ſe.* Rationes, quibus nititur hæc Paraphraſis, ſunt ſequentes. 1. non quadrare lapſum, vel prolapſum, in muros ejusdem craſſitiei & altitudinis. 2. patuiſſe ita omnibus & ſingulis aditum ad Urbem, *cuique ſuo loco*, difficilis aliàs futurus per fragmina collapſorum ſine ordine murorum. 3. fuiſſe abſorptionem miraculum magnificum magis, & omnibus palpabile. Sed non ſunt hæc ſeu Argumenta ſeu ratiocinia tanti pro abſorptione momenti, ac quidem illi exiſtimant. De æquali murorum & craſſitie & altitudine nîl nobis prorſus conſtat: eadem Diuina virtus potuit efficere collapſum lateralem, quæ abſorptionem in viſcera terræ. Hæc ſi obtinuiſſet, fuiſſet dubio procul memoriæ in Sacris tradita, ut fuit illa Coraitarum rebellium. Num. XVI. 31. 32. Aperiri debebat duntaxat via Iſraelitis ad Urbem. Sufficit militibus pro expugnatione apertura aliquantum ampliata, *bréche* moderni vocant, quam non ſine labore conſcendat per ſaxorum terrarumque rudia fragmina. Sed heîc apertura fit non unius, vel paucarum perticarum: totam circuit urbem: deleta ſunt omnia obſtacula: ut nemo Iſraelitarum duxerit labori, juſſu DEI & Joſuæ per collapſorum murorum

rudera urbem adoriri, conscendere, superare. Et quæritur, annon murorum prolapsus ipse versus exteriora, quod probabile, facilitauerit aditum magis, quàm absorptio? posito namque, cinctam fuisse Hierichuntem non muro duntaxat, sed & Fossa, quam sana dictabat Ratio; hæc quippe potuisset ab ipsis collapsis muris expleri, & ipsi hi vicem præbere Fascium, *Fachines*, aliarumque rerum, quibus Fossas explere solent moderni.

Masium si audimus, *Isidorum Clarium*, *Mich. Walther*, *Ludouicum de Tena*, *Calouium*, *Quistorpium*, non omnes in toto ambitu Urbis muri sunt collapsi, sed ii præcipuè, qui Exercitui Israelitico fuere expositi. Ansam huic Ratiocinio dat Ædes Rahab muro inædificata, quæ salua mansit. Sed neque hæc opinio firmo stat talo. Quærere licet & dubitare, an memorata mox Domus muro ipsi fuerit superextructa, ita ut murus partem constituerit ejus, fenestris ipsum murum perforantibus? vel, annon potius Ædes illa fuerit muro adsita, spatio inter eam & murum relicto, aditu quoque ipsi Rahabæ patente ad peribolum Muri, quo sensu utique aperturas habere poterat in ipso Muro? Si prius, sequi necessariò debuisset collapsum Murorum ipsa Ædis ruina. Vero proin similior est alter, quem indicauimus, situs. Neque est dubium, cinctam undique fuisse Hierichuntem ab Exercitu hostili, κυκλωθέντα juxta effatum Pauli Hebr. XI. 30. Subscribet facile, qui Exercitum concipit numerosissimum, & Ordinem Processioni triumphanti similiorem, quàm Aciei militaturæ. Ita quoque rem concepere LXX. καὶ ἔπεσεν τὸ τεῖχος κύκλῳ. Et ita quoque *ascendere* poterat *populus in urbem*, *quisque suo loco*, aggressu uniuersali facto in omnibus peripheriæ punctis. Ita saluatur Rahabitica Ædes: & poterat *coccinus* iste *funis in fenestra ligatus*, vel potius fascina coccinei coloris Jos. II. 18. demitti vel extra murum, vel etiam ex parietibus ipsius Ædis, præsertim si hæc altior fuerit ipso Muro.

Hæc, quæ hactenus, alius sunt fori. Præcipuus meus labor in hoc versatur enodando dubio, an murorum Hierichuntinorum collapsus adscribi debeat clangori Tubarum, & vociferationi Populi, tanquam causis naturalibus? id quod statuunt post *Leui Ben Gerson* aliosque Judæos Doctores viri authoritate graues & Pietate inclyti, *Augustinus*, *Hieronymus*, *Ambrosius*, *Origenes*, *Isidorus Hispalensis*, *Adrichomius*, *Lorinus*, *Pellicanus*, omnes ad Josuam, hac nempe adjecta explicatione, quòd DEUS sono executus fuerit justissima sua in Hierichuntem judicia, tanquam causa instrumentali. Ut sanè nemini non notum, Sonum motum esse tremulum, qui tremefaciat, paruus licet, etiam solidissima corpora, & maximas moles. Neque est dubium, corruere debuisse Muros, vinculis solutis, à Sono, siquidem ejus tremor superauerit nexum partium muros colligantium. Notum *Nicolai Petteri*, Oenopolæ Amstelodamensis, Exemplum, qui solo vocis prolatæ sono vitra quæuis diffregit, & celeberrimo *Morhofio* ansam dedit scribendi *Hyaloclastem*, *siue de Scypho vitreo per certum humanæ vocis sonum fracto*, qui prodiit Kiliæ Holsatorum A. 1683. Huc faciunt, quæ habet *Mersennus* p. 1710. *Quicquid ad perpendiculum, vel alio modo erigitur, certam habet tensionem, quam si viceris vel æquaueris, concuties. Quis igitur nouit, num omnes clangores atque voces aliquod tertium effecerint, quod cum muris illis unisonantiam vel octauam obseruaret? Cogita, muros esse velut neruum tensum, qui sit* πρὸς-λαμβανόμενος. *Si omnes soni Israelitarum similem tensionem habuerint, vel saltem in mese fuerint, illos concutere, & sæpius repetiti diruere potuerunt.* Objiciat quis Philosophis his αὐτοσόφοις Murorum altitudinem & crassitiem; prouocant hi ad loci situm ἐν ἀυλῶνι, *in conualle*, *Theophr. Hist. Plant.* L. II. c. 8. ostenduntque, sonum ejusque effectus in locis montibus clausis intendi: ad Exercitum in circulo pleno gutture vociferantem: ad exiguam hujus ab Urbe distantiam: &, ne desit Ratiocinio fides, ad Exempla concussorum in aliquot mille passuum distantia à pyrii pulueris fragore murorum, imo dejectorum, fenestrarum disruptionem, & hujus generis alia. Et ad rhombum inprimis quadrare videtur Experimentum, cujus αὐτόπτης est testis insignis ille Mathematicus *Borellus*, qui ita in præstantissimo *de vi percussionis* Libro *Prop.* 101. ostensurus, tremore tardo licet, sed successiuo corpora etiam maximæ molis concuti. *Aderam*, ita ille, *Tauromenii Siciliæ, quando Ætna mons eruptionem quandam effecerat prope Ennam Urbem fere 30. milliaria à Tauromenio distantem, tunc vicibus interpolatis eruptiones ingentes ignis vorago efficiebat grandi sono & strepitu, & tunc omnia Tauromenii ædificia Tremore concutiebantur, in quo circumstantiam notatu dignissimam obseruaui: scilicet, quod domus & ædificia, quæ directè exposita erant prospectui ejusdem voraginis, vehementissimè concutiebantur, reliquæ verò domus, quæ conspectu voraginis priuabantur, satis lentè & leniter tremorem efficiebant. Profectò si hujusmodi tremor factus fuisset à concussione & resilitione soli Tauromenitani, omnes domus æquè concussæ fuissent, & æquali tremore agitatæ, ita ut non possit conspectus Voraginis tam insignem & euidentem inæqualitatem tremoris procreare, igitur necessariò à tremore ejusdem Aeris incusso in parietibus domorum libere percussiones excipientium agitatio illa efficiebatur.* Quodsi interuallo 30. milliarium, nempe Italicorum, tantus fuerit obseruatus tremoris effectus, quid non heic contingere poterat in vicinia Hierichuntis, imò haud longè à muris? Et quid si ipsi hi Muri fuerint vetustate exesi, & ad ruinam proni? quid si infirmo nixi fundamento? quid si grauitatis centrum pristinum jam mutauerit situm?

Qui

Qui his omnibus manum dare recusat, eum fortè conuincent Judæi Lugendistæ ex Libro Talmudico *Tamid.* c. 3. §. 8. ubi legitur, in Hierichunte urbe auditum fuisse sonum, quoties ænea Templi Porta Hierosolymis fuerit aperta: Sonum item Organi cujusdam in Templo eodem pneumatici: Sonum machinæ cujusdam ligneæ, quâ Aqua ex Mari æneo deducta fuerit ad Luteres æneos: Sonum Sacerdotis Collegas officii sui admonentis: Sonum denique variorum Instrumentorum Musicorum. Et ne quis credat, Aures Hierichuntinorum solas præualuisse teneritate sensus aliis aliorum Israelitarum, addunt Rabbini miram Organi olfactus subtilitatem, addunt, peruenisse ad illorum quoque nares odorem suffitus sacri in Templo accensi. Et ne quid desit causarum naturalium scrutatoribus, in sensu literali accipiunt Oratoriam illam & Propheticam locutionem Ezech. XXVI. 10. qua interminatio fit Tyro: *A strepitu equitum, rotarum, atque curruum concutientur muri tui.* Et ex *Floro* L. II. c. 6. §. 14. allegant Exemplum de Prælio *Hannibalis* ad Lacum Trasimenum, ubi ita Historicus: *Commissam aciem secutus ingens Terræ tremor, nisi illum horrorem soli Equitum virorumque discursus fecerunt, & mota vehementius arma.* Quam Fabulam magnus ille *Græuius* derisit in præliminari ad Florum suum Dissertatione. Attamen haud impossibilem autumat insignis *Mersennus* concussionem & loco motionem Terræ æquilibrio ab Equorum quadrupedantium graui incessu sonoque quouis forti. Hincque illud proponit nasutioribus Problema. *Viderint egregii Mathematici, qui Mechanicam Harmoniæ jungere voluerint, num, quemadmodum Mechanici Archimedici dato pondere vim mouentem, aut è contrario, proponunt: perspectiui datum cujuscunque figuræ objectum sub ea figura & quantitate, quam postulaueris, repræsentant: ita datum objectum vi, arte vel naturâ tensum, aliquo concentu unisono vel alia ratione consono moueri possit, adeò ut ipsa Terra sonis quibusdam concutiatur?* Quod si in hac Terra, imò in tota Natura defecerint omnes Potentiæ Mechanicæ, in Cerebro omnis imaginandi vis, auxilium subministrauit Astrologia & Dæmonologia: Ita Cabbalistizantes Rabbini, qui dicunt, Tubas singulari Astrorum influxu ab Intelligentiis cœlestibus, inprimis Sephiroth, ita fuisse tensas, & veluti animatas, ut murorum collapsus sequi necessariò debuerit. Placent sanè magis, qui insuper habitâ Spirituum Philosophiâ, in causis & Ratiociniis Physicis manent, licet & in Experimentis multa sint falsa, in Ratiociniis ἀσύρατα multa. Tuba illa *Alexandri M.* cujus Author *Themistius* perhibetur, sonum dilatans ad 60. milliaria, si fides est Libro *Secretum Secretorum, Aristoteli* à nonnullis adscripto: Cornu illud tremendum *Rolandi*, quo in fugam acti omnes hostes: effectus mirandi Tubarum Stentorophonicarum: Campana illa omnium maxima 3940000. Librarum Moscouiæ suspensa, cujus sono Terram tremere dicunt; vel Erfordiensis illa, cujus sonus sese extendat ad 6. milliaria.

Specie haud carent, quæ hactenus in fauorem causarum naturalium protuli, & incauto imponunt facile: sed examinata probè citius, quàm Hierichuntini Muri, corruunt. Fatentur ipsi illustres viri *Mersennus* & *Morhofius*, postquam omnes Philosophiæ naturalis angulos perreptarunt, nihilque suffeni inuenerunt, esse collapsum Murorum Hierichuntinorum accensendum Miraculis. Non quæritur, an collabi possint Muri per sonum qualemcunque? sed an corruerint hi, de quibus nunc, Hierichuntini à Tubarum sono, & vociferatione Populi, tanquam à causa naturali? non, an DEUS possit, vel potuerit, Natura mediante muros dejicere, sed, an dejecerit hosce? Scripturam si consulamus, silet ea prorsus. Fuit Jericho urbs, non in angusta valle, montibus undique clausa, sed sita in planitie, cui mons nudus ac sterilis imminebat; ita describitur à *Josepho Bell. Jud.* L. V. c. 4. Sita ἐν πεδίῳ, in campo, ut idem. Tendit sonus Tubarum & Populi confusaneus non rectâ versùs Hierichuntinos muros, ut solent hodie 50. 100. Tormenta ex maximis in eadem vel parallela directionis linea locari contra Fortalitii muros, & si hanc eandem omnis sonus habuisset directionem, nîl effeciset, uti hæc, de quibus ante, Tormenta non sono dejiciunt muros, aperturasque faciunt, sed globis multarum Librarum ferreis, ingenti vi explosis. Diffunditur heic Tubarum vocumque sonus per omnem Aera. Quodsi vi hujus soni dejecti fuerint muri, cur non potius Arbores obuiæ, Tentoria, imo integer Exercitus, fuere prostrata? Cur non, qui Architecturam militarem hodiernam offensiuam ad summum fere perfectionis gradum euehunt, urbibus obsidendis & expugnandis adducunt tot numero Tormenta, Mortaria, tantum pulueris pyrii, Globorum missilium & tormentariorum apparatum? Cur tanto labore, periculo tanto, imò multorum millium hominum jacturâ fiunt adductus, suggestus, cruentæ aggressiones? Nonne faciliori longè operâ, & minori sumtuum dispendio aduocari possent 100000. Achilles, Cyclopes, Stentores, Petteri, Tubicines, Aeneatores, qui reduplicato Taratantara suo muros prosternerent? imò verò militiæ huic adjungi ipsæ mulieres, infantes, qui vociferatione, Campanarum, Tintinnabulorum clangore, aliisue Instrumentis sonoris tremorem juuarent? Vitrum à sono ad octauam surgente, vel eam superante dirumpi haud mirum; sed mirum, dejici muros: vitri constructio alia longè, quàm est Murorum: haud procedit argumentatio à minori ad majus, à minimo, fragili, tenso, vitro ad maximum, ad firmissimam murorum compagem. Posito licet, fuisse Muros vetustate exesos, &

ſubeſos, ad ruinam pronos, collapſi fuiſſent vel ſponte, vel non hac præcisè ſolenni occaſione, vel non omnes, ſed hîc ibi aliquæ partes. Nec Joſua ſcribit à Tubarum ſonitu collapſos fuiſſe Muros, ſed corruiſſe facta vociferatione, & Cornuum ſono intenſo, ſcilicet veluti claſſico dato: nempe immediatâ DEI actione vel nutu, id quod ex aliis quoque inferre licet circumſtantiis plane ſingularibus, neceſſariis tamen, licet ad murorum ruinam nîl conferentibus prorſus, ſeptidua proceſſione, ſilentio ſeptiduano, ſeptem Tubis, unica ſimultanea ſimulque confuſanea vociferatione. Ex quibus omnibus id tandem concludere licet, quod prædicat Paulus Hebr. XI. 30. πίσει τὰ τείχη Ἰερειχὼ ἔπεσε, κυκλωθέντα ἐπὶ ἑπτὰ ἡμέρας. Addimus Commentarium *Chryſoſtomi Hom.* 27. *Non tubarum ſonitus murorum ſaxa dejecit, etiamſi per innumeros annos quis Tubis inſonet, ſed Fides omnia valet. Intueris ubique, neque ſequela ulla rerum, Naturæ Lege mutationem fieri, ſed ſpe cuncta geri. Proinde etiam hic præter ſpem cuncta fiunt.* Alia, quæ oggeri poſſent in Judæorum Lugendis, Aſtrorum influxu, Intelligentiarum auxilio, ejus ſunt commatis, ut rideri potius mereantur, quàm refutari. Legatur *Joh. Andreæ Schmidii Diſſ. de collapſis Hierichuntis muris* in *Var. Philoſ. Decade* n. V. Jen. 1691. 4.

TAB. CCCLXX.

Joſ. Cap. X. verſ. II.

Quumque fugerent ante Iſraelitas, & eſſent in deſcenſu Bethoron, dejecit DOMINUS ſuper eos lapides grandes de cœlo, usque in Aſeka, mortuique ſunt multò plures eorum, qui lapidibus grandinis interierunt, quàm fuerint illorum, quos interfecerant filii Iſrael gladio.

Cumque fugerent filios Iſrael, & eſſent in deſcenſu Beth-horon, DOMINUS miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo, usque ad Azeca: & mortui ſunt multò plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuſſerant filii Iſrael.

QUadrant & huc rationes pro Grandine miraculoſa ad Exod. IX. 18. allatæ, Palæſtinæ non minus quàm Ægypto. *Dejecit DOMINUS ſuper eos lapides grandes de cœlo*, ſuper hoſtes populi DEI, non ſuper Iſraelitas, qui tamen erant in eodem Horizonte, in eadem Regione, in campis iisdem. Et ejus erant magnitudinis hi *Grandinis lapides*, ut iis proſtrati *interierint multò plures, quàm fuerint illorum, quos interfecerant filii Iſrael gladio.* Eſt tantæ magnitudinis Grando in Regione adeò calida res albo Coruo rarior. Sunt ex Interpretibus, qui per *Lapides* hos *Grandinis* intelligunt veros *Silices.* Et eſt ſanè *Chalazias*, χαλαζίτης ἀπὸ τῆς χαλάζης, à Grandine dictus Lapis, qui *Grandinum & colorem & figuram habet adamantinæ duritiæ, Plinio* deſcriptus L. XXXVII. c. 11. χαβάζιος pro χαλάζιος legitur apud *Orpheum de Gemmis* p. 241. Et dedit fortè æquivocus *Lapidis* ſenſus occaſio multis fabuloſis *Grandinis lapidoſæ fluuiis;* quibus adnumeranda haud dubiè illa, quæ A. 1673. in campos Dietlingenſes bihoriô ab Etlinga lapſa legitur, de qua chalaziam *Muſeo* ſuo intulit *Brackenhofer.* p. 7. *Nimbus cum ſaxea Grandine ſubito exortus ingens*, teſte *Scriptore Belli Africani* c. 47. Apud *Liuium* paſſim quoque inter Prodigia legitur, *pluiſſe lapidibus.* Haud infrequens apud Romanos fuit *ſaxeæ Grandinis* nomen. Solemus & nos Germani uti hac Phraſi, *es fallen Steine.* Facilis fuit Grandinis ad Silices, Cryſtallinos inprimis, transitus, ſi vel colorem reſpexeris, vel figuram, vel diaphaneitatem. Ex iis, qui ſiliceam Pluuiam hanc noſtram fuiſſe ſtatuunt, eſt *Voſſius Idolol.* L. I. c. 26. Allegat is in ſui fauorem Fabulam illam de *Hercule*, cujus precibus commotus *Jupiter* ſaxea grandine pluiſſe legitur in *Albionem* & *Bergiona Neptuni* filios, de qua *Pomp. Mela.* L. II. c. 5. vultque, indigitari hanc ipſam, quæ Joſua imperante in hoſtes decidit, Grandinem. Sed ſunt, qui Fabulæ illius natales in Galliis potius quærunt, quàm in Palæſtina.

TAB.

Ios. Cap. X. v. 11.
Canaanitæ επιχαλαζόμενοι.

Buch Josua Cap. X. v. 11.
Hagel über die Cananiter.

M. Tyroff sculps.

Ios. Cap. X. v. 12. 13. 14.
Solstitium Iosuæ.

Buch Josua Cap. X. v. 12. 13. 14.
Die stillstehende Sonne.

G. D. Heüman sculps.

TAB. CCCLXXI.

Joſ. Cap. X. verſ. 12. 13. 14.

12. Tum loquutus eſt Jehoſua ad DOMINUM, eo ſcilicet die, quo DOMINUS tradidit Amorræum ante Iſraelitas, & ait præſentibus Iſraelitis: Sol ſiſte gradum in Gibeon, & Luna in Valle Ajalon.
13. Conſtitit itaque Sol, & Luna ſtetit, donec ſe gens de hoſtibus ſuis ulciſceretur. Annon hoc in Libro Juſti ſcriptum eſt? Conſtitit itaque Sol in medio Cœli, nec feſtinauit ad Occaſum fere integro die.
14. Nec fuit talis dies ante illum, nec poſt illum, ut exaudiret DOMINUS vocem Hominis, quoniam DOMINUS pugnauit pro Iſraele.

12. Tunc locutus eſt Joſue DOMINO, in die qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael, dixitque coram eis: Sol contra Gabeon ne mouearis, & Luna contra vallem Ajalon.
13. Steteruntque Sol & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt hoc in libro juſtorum? Stetit itaque Sol in medio Cœli, & non feſtinauit occumbere ſpacio unius diei.
14. Non fuit antea & poſtea tam longa dies, obediente DOMINO voci hominis, & pugnante pro Iſrael.

EST, de quo heic, Locus Eridos Pomum. Genuinum ſenſum ſibi arrogat quisque, Orthodoxus & Heterodoxus, Zelota & Scepticus, Copernicanus & Ptolomaicus, Eruditus atque Idiota. Haud ſanè vagabor extra oleam, ſi rem hanc, quæ Philoſophici eſt fori, pro poſſe enucleauero modeſtâ disquiſitione. Præliminaria tractationis puncta ſunt hæc. Lectorem præſuppono, cui ſyſtemata de Solis, Terræ, aliorum Planeticorum Corporum Situ, Quiete, Motu, Ptolomaicum pariter atque Copernicanum ſint cognita. In parallelismo colloco & Ptolomæi aſſeclas & Copernici, pari pro Gloria DEI exaltanda, & genuino Scripturæ Sacræ eruendo ſenſu feruentes Zelo. Utrosque amo ut Chriſtianos, utrosque de αὐθεντίᾳ Codicis Sacri perſuaſos, conuictos utrosque, non eſſe Terræ vel Motum vel Quietem reponenda inter Articulos Fidei. Mathematicos tandem omnes & Aſtronomos modernos, tum Proteſtantes, tum Romano-Catholicos teſtes eſſe volo, quàm præualeat ita Copernicanum ſyſtema Ptolomaico, ut non tam Hypotheſibus accenſeatur illud, quàm Veritatibus Mathematicis, utpote conceptu ſimpliciſſimum, facillimum, Obſeruationibus cœleſtibus innumeris comprobatum, nullis contradictorium. Et erit tantò dignior hæc noſtra diſcuſſio, quia ultimus hæc Joſuæ Hiſtoria eſt Aries, quo quidem Copernicanismi muros adoriuntur Aduerſarii: Neceſſe proin erit, Ptolomaicorum Caſtra prius ingredi, horumque contemplari opera tum propugnatoria, tum expugnatoria, ſed quoque jucundum, videre partes bellantes in mutuo conflictu.

Conſtitit itaque Sol in medio cœli, nec feſtinauit ad occaſum. Ita legimus v. 13. Patet hinc, Solem prope fuiſſe occiduum. Colligas idem ex v. 12. *Sol ſiſte gradum in Gibeon:* imminebat nempe Montibus Gibeoniticis. Crucem figit hoc *Cœli medium* Ptolomaicis. *Lineam meridianam* intelligere nec poſſunt, nec volunt, quia ex allatis circumſtantiis luculenter conſtat, non fuiſſe horam tunc meridianam, quum votum vouerat Joſua, ſed Solem in Horizonte occiduo. Et poſito, fuiſſe Solem in meridiana, fuiſſe horam duodecimam diei, non potuiſſet & tunc dici Sol in medio Cœli, niſi ad apparentiam & vulgi captum, quem tamen adeò reformidant Orthodoxi: & intuitu duntaxat loci illius, ubi Joſua ſtetit, in omnibus aliis Terræ locis, ſub alio Meridiano jacentibus non item. Conſtitit itaque, juxta ipſam Ptolomaicorum Hypotheſin, in medio Cœli, & non conſtitit in medio Cœli. Ubi quæſiuerint cunque medium Cœli illi, Aqua hæret: de proprio ſanè Solis loco in fluidiſſimo Æthere medium Cœli ad literam explicare nequeunt: Si in medio Firmamenti Planetas in-

ter vel Fixas, ubinam, quæſo, erunt extrema? & ſi tunc fuerat in medio, cur non ſemper? Sole conſtantem reſpectu vaſtorum illorum corporum ſeruante ſitum? Nec medium Cœli quærere poſſunt in orbita Solis, cujus non poteſt ullum punctum, quodcunque ſelegeris, vocari Cœli medium. Medium ſanè Circuli non eſt in peripheria quærendum, ſed in Centro. Ad Motum ſi reſpiciamus Solis, Ptolomaicorum nullus prætendet, Joſuam intellexiſſe proprium ſiue annuum, quo Sidus illud ab Occaſu fertur verſus ortum, ſic enim voto contrarius ſecutus fuiſſet euentus, & occidiſſet Sol eò citius, contra Joſuæ intentionem: ut proin neceſſariò refugium quærere debeant illi ad motum Solis diurnum, qui 24. Horarum ſpatio abſoluitur, ſed à primo Mobili ſeu Firmamento dependet. Sed ita Joſua, ſi Ptolomaicus fuiſſet, votum direxiſſet non ad Solem, ſed ad ipſam ſphæram ſupremam, ut, qui currum ſiſtere intendit, Equis quietem imperat.

Ad Copernicanorum caſtra ſi transeamus, inueniemus ea duplici Circumuallationis linea cincta, atque ita munita, ut difficile admodùm ſit Ptolomaicorum Exercitui, viribus & numero fracto, illa adoriri. Inter opera defenſionis externa eſt primò formula illa loquendi, *ad captum vulgi, ad ſenſum vulgarem.* Imperator ſi in ſtricto Copernicanorum ſignificatu Terram adloquutus dixiſſet, *Terra ſta*, nemo Iſraelitarum Idioma hoc intellexiſſet. Et ipſis adhuc hodie Copernicanis frequentes admodùm ſunt loquendi formulæ arcto ſenſu ſyſtemati ſuo contrariæ, ſed captui vulgi accommodatæ, ſicubi ſermo illis eſt de ortu & occaſu Solis, de Eclipſi Solis, & quæ hujus ſunt generis alia. In vallis hujus exterioris linea ſtant non duntaxat Copernicani, ſi fortè hos credideris de Religione ſuſpectos, ſed quoque doctiſſimi pariter atque pientiſſimi Theologi, *Caluinus* in ſuis Operibus, ſpeciatim *Comm. in Geneſ. Zanchius*, *Joh. Wilkins*, Epiſcopus Ceſtrienſis in *vertheidigtem Copernico*, alii, quos enumerare longum nimis foret. Producunt hi in ſui fauorem plura alia S. Scripturæ Loca captui vulgi accommoda. Gen. I. 16. *Luna* adnumeratur *Luminaribus magnis*, quum tamen Planetarum omnium ſit minimus, à Sole ſocio immenſis quoad magnitudinem diſtans paraſangis. Jeſ. XIII. 5. de iis, qui Babelem eſſent vaſtaturi, legitur, *venire eos de terra longinqua, de finibus cœlorum. (Venientibus de terra procul, à ſummitate cœli.)* Deut. IV. 32. ita Populum, cujus ductor erat, adloquitur Moſes: *percurrite ab extremitate Cœli usque ad extremitatem Cœli, ſi unquam facta ſit hujusmodi res magna.* Quum tamen clarum ſit, non veniſſe illos in ſenſu literali *de finibus* Cœli neque ætherei, neque aërei, neque hos percurriſſe ab extremitate cœli ad extremitatem. Et quoties, quæſo, Scriptura de fundatione Terræ loquitur more Architectis familiari? quoties Cordi adſcribit Sapientiam, Intellectum & Voluntatem? quum tamen nemo dubitet, Animæ ſedem eſſe in Cerebro, non in Corde. Quomodo poterunt, in ſenſu literali; *jubilare cœli, jubilum edere profundiſſima Terræ, prorumpere in lætas voces Montes, ſyluæ & omnia Ligna ejus? (Laudate cœli: jubilate extrema terræ: reſonate montes laudationem, ſaltus & omne Lignum ejus:)* Jeſ. XLIV. 23. *Luna verti in ſanguinem.* Joel. II. 31. οἱ ἀςέρες τὸ ἀρανὸ πίπτειν εἰς τὴν γῆν, ὡς συκὴ βάλλει τὰς ὀλύνθας αὐτῆς, ὑπὸ μεγάλε ἀνέμε σειομένη. Apoc. VI. 13. *Tonitru* toties vocari *vox* DEI. Pſ. XXIX. Pronus erit, ut fuit veteribus Judæis, & primæ Eccleſiæ Patribus, ad opiniones etiam abſurdiſſimas prolapſus, ſi ad Literam omnia in Sacro Codice obuia interpretari velimus. Exemplis rem hanc illuſtrare anguſtia loci non permittit. Hi nunc, qui pro captu vulgi militant, multa obſeruant, quæ ut alibi, ita heic conceptum vulgi attinent. Vaſtiſſimum Solis Corpus, quod vel millioneſies Terræ Globum ſuperat adeò in conſpectu Terræ, imo in reſpectu ad Horizontem viſibilem, veluti per megethoſcopium quoddam, ſi vocem hanc accommodare lubeat vitris, quæ Microſcopiis ſunt aduerſa, ita minuitur, ut referatur ad unicum Montis punctum, ut heic Joſua Solem juſſit ſtare in Gibeon: & verò nemo eò delabetur ſimplicitatis, ut ſibi perſuadere poſſit, ſtetiſſe Solem reuerà in Gibeon, & Lunam in Valle Ajalon. Opticam ſane conjunctionem, imo deceptionem vocant Matheſeos gnari, ſi quando Solem vel Ortiuum vel Occiduum jungimus huic illiue Monti, Arbori, Domui: Stellam quampiam Fixam ad quendam Caminum, Ædis angulum. Ipſa quoque illa locutio: *Nec fuit talis dies ante illum nec poſt illum*, non certè ita explicanda, ac ſi tunc temporis non fuiſſet in uniuerſa Terra dies longior hoc miraculoſo die, ſed applicanda præciſè illi Anni tempori, Climati illi, in quo ſteterant Iſraelitæ, quos Diei ordinaria longitudo latere non poterat.

Ab exteriori circumuallationis linea ſi transeamus ad interiorem, eam videbimus ita munitam, ut exterioris Lineæ propugnaculo haud opus habeat. Stant heic, qui Miraculum hocce ſtationis Solis ad Literam explicant, & tamen Copernicani ſunt ac manent. *Medium Cœli*, in quo ſtare debebat Sol, centrum his eſt magni illius Vorticis Solaris ſeu Planetarii, in quo locatus eſt Sol, Mundi Planetici Monarcha; qui non ſolus ſtare debebat, ſed & Luna, imo, quod Copernicani volunt, totum Syſtema Planeticum, utpote à motu centrali Solis in gyrum actum. Et de Sole quidem, oculo Mundi, ſcire oportet, eum nunquam quieſcere, ſed ſpatio 24. dierum gyrari circa proprium centrum, & hac ipſa gyratione ſua majeſtatica circumducere, veluti ſatellites, omnes Planetas, & hos inter Terram. Imperatoris proin imperatiua adlocutio, *Sol ſiſte gradum*, ita ad Literam explicari poteſt, & debet,

bet, quòd Sidus hocce splendidum contra & supra Naturæ ordinem in motu suo centrali debuerit sisti, & cum eo, momento citius, omnes Planetæ, & Terra quidem præcipuè in motu suo 24. horarum diurno. Jussit itaque Josua sisti non currum, Terram, sed Equos tractores, Solem Motus Fontem. Fauet & Copernicanis Textus Sacer, si verbum דָּמַם *damam* interpretemur in genuino suo significatu per *siluit*, *conticuit*. Motui locali opponitur vox עָמַד *amad*, *stetit*, *perstitit*, *permansit*, & hoc sensu accipitur v. 19. *vos ne consistatis, sed insequimini hostes vestros.* Exprimitur ita Solis statio locutione Metaphorica, non propriâ, quia localis motus Soli non competit. Debebat hic *conticere*, in se ipso quiescere, effluxum vel in Cœlum Planeticum influxum veluti retrahere, ut Monarcha quiescit, silet, conticet, & veluti in inactione est, si nulla emanent ex ejus Regiâ jussa ad subditos. Et LXX. utuntur phrasi, quæ ἐμφάσει haud caret, ἵστημι ἐν στάσει, *stare in statione.* De Sole semper verum, quod stet, ἵσταται, in Vorticis Centro, sed heîc ἵσταται ἐν στάσει, stat ita, ut ne quidem gyretur circa proprium centrum. In Astronomia Ptolomaica Soli nulla prorsus & unquam competit στάσις, in perenni est & velocissimo cursu: sufficisset proin solum vocabulum ἵστημι. Nominantur *Gibeon* & *Ajalon* non tantùm ut obseruatoria Phænomeni miraculosi, sed eum præcipuè in finem, ut omnes Terræ Nationes sciant, quâ occasione, in quanam Regione in fauorem Populi DEI patratum fuerit tanti momenti Miraculum.

Sed est nobis res quoque cum heterodoxis, imo Atheis. Reducit *Peyrerius Systemat. Theol.* L. IV. c. 5. omne, quod heic patratum fuit, Miraculum ad Meteororum Classem. Prosecutus fuit Sol, & reliqua sidera, motum ordinarium, juxta Naturæ Leges; Josua verò metuens, ne, Sole jam ad Occasum vergente, deficeret sibi suisque dies ad persequendum hostes, precibus suis impetrauit, ut vero Sole jam occiduo sese præsentaret Parhelius, Meteorum Soli simile, in Horizonte Gibeonitico. Ansam huic cogitationi dedit Phænomenon, quod in Regionibus montosis Heluetiæ nostræ quotidie obseruare datur. Sol nempe, postquam infra Horizontem jam sese demersit, irradiando Montium altissima juga, lucem inde reflectit ad subjectas valles, & diei usum incolis ultra ordinariam longitudinem protrahit. Eadem est ratio Solis ortiui. Sed *Peyrerio* non sufficit hic radiorum directus in Alpium cacumina illapsus, indeque facta reflexio: recurrendum ipsi necessariò est ad beneficium Refractionis, siquidem formare velit vicarium Solem. Fauet autem huic proposito, vel fauere videtur, Obseruatio in Regionibus Septentrionalibus, Suecia, Norwegia, Noua Zembla frequens, quâ Solem vident supra Horizontem, qui jam reuerà est infra eum demersus. Videatur *Bilbergii Refractio Solis inoccidui*, 1695. Testimonium Sacrum, *constitit itaque Sol in medio Cœli, nec festinauit ad occasum fere integro die*, ut torqueat *Peyrerius*, ita explicat, ut non positiuè intelligi debeat integer dies, sed *quasi integer.* Ut *quasi duo* habet in illo Siracidis XLVI. 5. *Nonne Sol restitit — & dies unus excreuit ad duos*, πρὸς δύο, al. ὡς δύο. Euanescente sensim Solis lumine in Gibeoniticis montibus, comparuisse in Ajalonitica valle μετέωρον Lunæ simile, donec victi fuerint hostes, & plenè profligati. Ita clarum ἐμπαίκτη videtur, *non fuisse talem diem ante illum, nec post illum.* In Theatrum producit disceptantes inter se Theologum & Mathematicum. Digna διάσκεψις, quæ heic veluti παρενθέσεως loco inseratur. *Demonstrabat Mathematicus, dies dari plurium dierum, secundum sphæræ obliquitatem, uno sex mensium perpetuum sub parallela degentibus. Excanduit ad hæc verba Theologus, impium clamitans, & lamina candente, qua Hæretici ustulantur, expiandum, asserere, potuisse dari majores dies die illa, quæ fuit in miraculo Josuæ, quæque una facta fuit quasi duo. Præsertim, cum diserte scriptum esset:* Non fuit antea, nec erit postea tam longa dies. *Quo nihil expressius, nil clarius apparebat. Manifestas autem mendacii teneremus, ajebat ille, Scripturas Sacras, (cogitatu nefas & horrendum!) si vera essent, quæ demonstrat Mathematicus. Ac proinde optimè cauisse Imperatores, qui Mathematicos Cœlo Christiano interdixissent. Ne sæui, parue Sacerdos, respondit Theologo Mathematicus: Fallit te incautum Pietas tua. Nam & verbum DEI verum est, & ratio Matheseos vera est. Verum est, neque fuisse antea, neque futuram postea tam longam diem in Regione Gabaonitide, qualis fuit præcipiente Miraculum Josue. Sed non extende Miraculum illud & longitudinem diei illam extra Gabaonem, ad Regiones alias. Verum enim est, neque illo verius dari potest, in Regionibus Polaribus longiores multò fuisse & futuras dies die illa, qua jubente Josue Sol non festinauit occumbere subter Gabaonem, spatio unius diei, quæque una dies facta est tantum quasi duo: dantur enim manifestissimè sub Polo habitantibus dies, non quasi duorum dierum, sed reuera 182. dierum, & ultra. Quod argumentis ineluctabilibus euincebat Mathematicus. Victus verò frustra contendebat Theologus.* Suboluit scilicet Peyrerio, rem sibi fore cum Theologis, & proscriptum iri facilè, tanquam Miraculorum diuinorum extenuatorem. Propterea sequentem subjungit Protestationem: *Illi (malignæ opinationis homines) sunt, quibus religiosum & diuinum inprimis est, quicquid non creditur. Et quò magis incredibilia, hoc sanctiora apud illos reputantur miracula, tum (quod & ipsum monstrum est) quò magis superant Fidem, & magis Fidem illis adhibent. Fateor autem ingenuè, me nomen non profiteri meum inter abnormes Miraculorum assertores, qui Rationem omnem denormant. Rationa-*

lis sum, & Rationi conueniens nihil à me alienum puto. Miracula illa Josuæ & Isaiæ credo. DEUMque in illis maximè veneror. Sed non illa credo majora veris & Rationi congruis. Continui ergo illa intra limites suos. Quæ Protestationis formula haud extra rhombum, si applicetur Miraculis per Traditiones inuectis, minimè verò quadrat illis, quæ in Sacris continentur Literis; Omnia viri hujus Ratiocinia Mathematica, vel quasi Mathematica potius, & Anathematica, vix speciem quandam veri habent, vel umbram, & citius euanescunt, in auras protracta, quàm ipsa illa, de quibus ille, Meteora emphatica. Et en, quàm inconstans sui nunc se huc vertat, nunc illuc! nunc refugio ipsi est reflexio radiorum Solis, jam infra Horizontem demersi, ex Montibus Gabaoniticis; nunc asylum Refractio; haud considerans, illam, si vel Alpium altitudines habuissent montes illi, ut minimè habent, ne horam quidem dare potuisse Josuæ, nedum diem fere integrum, vel quasi: & hujus aliam longè rationem esse in Regionibus Asiaticis, ac in Polaribus, ut densior longè est hîc quàm ibi Atmosphæra, & nemini non modernorum Mathematicorum Ratio dictat atque Experientia, Refractiones accrescere magis & magis ab Æquatore usque ad Polos, & talem in Palæstina non dari, quæ Solem jam occiduum præsentet supra Horizontem. Accedit, quod in Polaribus illis Regionibus Sol, uti non altè eleuatur supra, ita nec profundè demergatur infra Horizontem, quum è contra in Asia altè scandat supra, & profundè descendat infra Horizontem. Et tandem nil juuat prorsus Peyrerium τὸ περὶ vel ὡς δύο Siracidis, si vel Canonicos inter Scriptores foret, non sanè extendendum ad semihoram vel horulam, sed plus ultra, ad duos, vel duos fere dies.

Ejusdem cum *Peyrerio* commatis est *Spinoza* vel nominetenus spinosi quid vel monstrosi secum ferens *Tract. Theol. Polit.* c. 1. & 6. p. 21. 78. Cui omne miraculum reducitur ad *Parhelium, orta refractione solito majori ex nimia glacie, quæ tum temporis in Regione Aeris erat.* Ita Cartesianizans vel Romanizans: hæc quippe de Parheliis Hypothesis dudum est explosa. Præuidit equidem ipse infirmitatem suæ opinionis, additque propterea, potuisse interuenire *aliud quid, quod jam non inquirimus.* Dictabat quippe ei Ratio, in Climate adeò calido, Atmosphæra adeò tenui, perdifficilem esse conceptu materiam adeò condensatam, quæ occiduo jam Sole Parhelium formet, vel & nubem conglaciatam, in Aere tamen pendulam, impossibilem, imo Parhelium, qui vicem Solis illuminando gerat. Hactenus equidem in parallelismo locari posset *Spinoza* cum *Peyrerio*, imò &, quod mox videbimus, *Clerico*, sed Cap. 6. Atheum se manifestè exhibet, prætendens, finxisse Judæos *ex pio dolo* Miraculum hocce, ut Gentiles Heliolatras & Selenolatras docerent, esse Dominum Sole Lunaque superiorem, & propterea factam esse non solùm diei longioris, sed & Solis Lunæque mentionem. Hujusmodi Scommata igne ferroque quàm solida refutatione digniora aliis relinquo.

Sunt ex Atheis, qui pro sui tali quali defensione ex Copernici Systemate probare conantur, statione Solis & Cœli Planetici Chronologiam veluti interrumpi, & in discrimen certitudinis suæ adduci, & vel hoc ipso dicti Systematis veritatem in suspicionem malæ fidei, non cogitantes, telum hocce non minus ferire Ptolomaicos, quam Copernicanos. Sed vanum esse hunc metum, patebit ex sequentibus. Juxta ordinarium Naturæ cursum combinatur Dies 24. horarum, siue νυχθήμερον ex duplici Terræ Motu, diurno nempe, quo circa Axem gyratur, & annuo, quo prouoluitur in orbita sua circiter $\frac{1}{365}$. Hoc nunc miraculosæ prolongationis die biduo κύλισιν absoluisse dicunt Copernicani priorem diem, alterum ἕλκησιν, tractionem. Priorem compositum ex binis his motibus, posteriori cessasse volutationem diurnam, non interrupto annuo motu, siue protractione in Orbita. Patebit id ex Schemate præsentis Tabulæ. Fuit proin Terra in crastinæ diei vesperâ, qua gyrari rursus cœpit circa proprium axem, in eodem Orbitæ annuæ puncto, quo fuisset viâ Naturæ ordinariâ. Ita saluant illi motum Terræ annuum, à quo inprimis Chronologia pendet, tantò autem facilius, quia etiam juxta Naturæ Leges Corpus Planeticum semel motum pergit moueri, nisi ab aliis obuiis corporibus impediatur. Nihil autem aderat, quod Terræ prouolutionem in Orbita annua impedire poterat, fieri solitam in fluidissimo Æthere. Par ratio est aliorum Planetarum; hi omnes licet motu centrali Solis cohibito cessarint gyrari circa suos singuli axes, perrexerunt nihilominus in orbitis suis annuis. Imò verò totus Planeticus vortex continuabat circulationem suam, ut Aqua in vase in gyrum mota aliquandiu continuat vorticosum motum, vase licet redacto ad quietem. Visus proin Sol supra Horizontem à vespera primæ ad vesperam secundæ diei, & promotus tamen gradu uno in Ecliptica.

Prolata hactenus contra meteorizantes *Peyrerium* & *Spinozam* sint quoque dicta contra Cl. *Clericum*, qui non minus ac illi miraculum extenuat. *Non est*, inquit Comm. ad h. l. *simile vero, ob rem tantillam, qualis fuit cædes aliquot Chananæorum, & quidem eo die potius, quàm postridie, Terræ motum diurnum, aut, si mauis, Solis interruptum fuisse. Non solet DEUS, ut sic loquar, sic prodigus esse Miraculorum, ut Naturæ ordinem in tam insigni Uniuersitatis parte leui de causa perturbet.* Imo dubitare videtur θαυματομάχις de ipsa facti veritate, quandoquidem Historia hæc Josuæ Libro inserta fuerit ex *Libro Recti*, Libro Poetico, quo Israelitarum facta stylo recensentur hyperbolico,

lico, vel, si mauis, Romanico. Res ipsa autem si contigit, refugio ipsi sunt Refractiones, quas Lapponiæ exemplo illustrat, vel lucidum aliquod aliud Meteoron extraordinarium, Parhelio vel Paraselenæ simile, si non idem. Sunt alia, quæ crucem *Clerico* figunt, digniora, quàm illa, refutatu. Sollicitum se præbet ille non duntaxat pro Asia, & huic Regioni obiturus incommodis, sed & pro Antipodibus, qui non minus passi fuissent incommodi à Nocte, quàm Asiæ Populi à die, 32. vel saltem 28. horarum. Haud considerans, eandem sibi refellendo sufficere methodum, qua usus est Pericles, fortis ille Nauarcha, ad militum metum, occasione Eclipseos Solaris conceptum, & quæ unicè constitit in velo, quo texerat faciem; Nemo sanè sinistri aliquid metuit, si per aliquot succesiuè dies cœlum obtectum est nubibus, ut Sol ne quidem veniat in conspectum: ut nemo, si pleno fulgore collustret Orbem per integrum sine intermissione biduum. Neque ulla nos afficiat cura, si DEUS alicubi patrare velit Miraculum, quomodo vel heîc vel alibi res sese sit habitura: Sunt in Potentissimi manibus media numero innumera, conseruandis Creaturis sufficientissima. Sed quoque anxia angit sollicitudo *Clericum* pro Israelitis ipsis, quorum Exercitum videt profectione à Gilgale usque ad Gibeonem, sed quoque pugnâ cum hostibus defatigatum, cui necessariam videt virium refocillationem per quietem, & satis superesse temporis pro hostium deletione, siquidem præcesserit diei unius vel alterius quieta transactio: quod caret alternâ requie, durabile non est. Nos vero omnem hanc curam, sollicitudinem omnem DEO remittimus, qui manus populi sui reddidit pugnaces, & animos fortes, tantique momenti miraculo socias pro immensa sua potentia suffenas jungere vires. Neque attendit ille, eodem, quo contra Miraculum nostrum pugnat telo, proprium quoque ferire jugulum. Valet quippe hæc argumentatio Clerici, si quid valet, non minus contra Parhelium, quàm Solem verum.

Num vestigia magni hujus Miraculi aliqua extent in profana Historia, dubitare licet. Posset huc referri, quod refert *Martinius Hist. Sinic.* L. I. c. 1. Imperatore *Yai* A. 2357. ante Christum natum in China per δεκαήμερον Solem non occidisse, ut nemo non metuerit, ne nimio Æstu consumeretur orbis. Posset, inquam, ni obstaret Chronologicus computus, qui Miraculum Josuæ ponit in Annum ante CHRISTUM 1586. non 2357. Nam

Exierunt Israelitæ Ægypto A. M. -	2514.
Transegerunt in Deserto annos - -	40.
In Palæstina - - - - -	1.
Cadit proin Solstitium Josuæ in A. M. -	2555.
Sed CHRISTI Natiuitas in - -	4141.
	2555.
Ergo à solstitio Josuæ ad Christi Natiuitatem effluxere - - -	1586.

Ut probabile magis sit, alludere illam Chinensium Historiam ad Excidium Sodomæ & Gomorræ, quia ei additur, arsisse magna passim incendia. Ita quoque *Ouidius Metam.* L. II. *Fab.* 2. ubi de Phaethonte.

Corripitur flammis ut quæque altissima Tellus,
Fissaque agit rimas, & succis aret ademptis,
Pabula canescunt, cum frondibus uritur arbor,
Materiamque suo præbet seges arida damno.
Parua queror, magnæ pereunt cum mœnibus urbes,
Cumque suis totas populis incendia Gentes
In cinerem vertunt, Syluæ cum montibus ardent.

Et *Fab.* 4.

At pater obductos luctu miserabilis ægro
Condiderat vultus, &, si modo credimus, *Unum*
Isse diem sine Sole ferunt —

Unde & *Celsius* apud *Origenem L. IV. contr. Cels.* objicit Christianis & Judæis, quod Miracula sua & Historias mutuò sumserint & corraserint ex Gentilium Fabulis. *Quæ de Sodomis & Gomorrhis propter peccatum Igne deletis Moses narrat in Libro Geneseos, Celsius comparat cum Phaethontis Historia, in eundem iterum impingens lapidem, ob non seruatam Antiquitatem Mosis temporum. Nam hi, qui de Phaethonte fabulantur, videntur Homeri ætate posteriores, qui Mosen est longo post tempore secutus.* Cadit autem Sodomæorum excidium in annum ante Chr. natum 2033. sicque propius accedit ad illum Chinensium 2357.

Extat *Joh. Godofredi Werchau*, Grossbarda Misnensis *Disp. de Statione Solis ad* Jos. X. 12. 13. 14. Præs. D. *Jo. Georgio Abicht*, P. P. Lipsiæ Lit. Andr. Mart. Schedii 1713. 4.

In Figuris Tabulæ præsenti adjectis sistit

A. Situm Terræ respectu Solis v. gr. à Saturni h. 12. noctis.
B. Hora 6. ante meridiem diei Solis, quo Miraculum contigisse supponimus.
C. Hora 12. meridiana Diei Solis.
D. Hora 6. post ejusdem Diei, quâ Sol gradum sistere jussus.
E. Terra in eodem situ hora 12 post.
F. Terra in eodem situ hora 6. ante Diei Lunæ.
G. Terra in eodem situ hora 12. meridiana ejusdem diei.
H. Terra in eodem situ hora 6. post ejusdem Diei, quà cœpit gyrari ut ante.

I. Terra h. 12. poſt diei Lunæ.
K. Terræ ſitus h. 6. ante Meridiem Diei Martis.
L. Terræ ſitus h. 12. meridiana.
Oppoſita διαῤῥήδην Facies exhibet ordinarias Terræ gyrantis φάσεις.

TAB. CCCLXXII.

Joſ. Cap. XVIII. verſ. 9.

Abeuntes ergo Viri illi pertransierunt Terram, deformantes eam in Libro, facientes ſeptem partes oppidatim, reuerſique ſunt ad Jehoſuam in caſtra, quæ erant in Silo.

Itaque perrexerunt: & luſtrantes eam, in ſeptem partes diuiſerunt, Scribentes in Volumine. Reuerſique ſunt ad Joſue in caſtra Silo.

COmmoda ſeſe offerret heic *Geographiæ* uſus multifarios deprædicandi occaſio; oſtendendi, quantam fœneretur lucem *Hiſtoriæ* tum *Sacræ*, tum *profanæ*; quàm illâ carere nequeant Principes & ſtatus, utpote quorum ſalus & conſeruatio, imo & intentiones, Conſilia, actiones Pace Belloque Politicæ fundantur præcipuè potentia & infirmitate vicinorum vel Regnorum, vel Rerumpublicarum, facilitate vel difficultate adituum, fortitudine vel debilitate natiua limitum, Fortalitiorum limitaneorum, diuitiis vel paupertate Populorum vicinorum, commerciis, horumque commodo: quàm inprimis illa carere nequeant Belli Duces & Imperatores, ſiquidem ducere velint ſecuri ſuos Exercitus, defendere ab hoſtium inſidiis, hoſtiles copias aggredi, commodis locis profligare, in Terras alienas penetrare, quem in finem neceſſariæ illis ſint Mappæ, ſpeciales inprimis & ſpecialiſſimæ, in quibus delineati ſunt aditus, termini, montes, Syluæ, Paludes, Riui, Flumina, Pagi, Urbes, Fortalitia, Loca quæuis ſeu fœcunda, ſeu ſterilia. Audiamus *Vegetium* L. III. *de Re Militari: Qui rem militarem ſtudioſius didicerunt, aſſerunt, plura in Itineribus, quàm in ipſa acie pericula ſolere contingere. Nam in conflictu armati ſunt omnes, & hoſtem cominus vident, & ad pugnandum animo veniunt præparati. In Itinere minus armatus, minusque attentus eſt miles, & ſuperueniente impetu vel fraude repente turbatur. Ideoque omni cura omnique diligentia prouidere debet Dux, ne proficiſcens patiatur incurſum, vel facile ac ſine damno rependat illatum. Primùm Itineraria omnium Regionum, in quibus Bellum geritur, pleniſſime debet habere perſcripta, ita ut locorum interualla non ſolùm paſſuum numero, ſed etiam viarum qualitates perdiſcat: Compendia, diuerticula, Montes, Flumina ad fidem deſcripta conſideret: usque eò, ut ſolertiores Duces Itineraria Prouinciarum, in quibus neceſſitas geritur, non tantùm adnotata, ſed etiam picta habuiſſe firmentur, ut non ſolùm conſilio mentis, verùm aſpectu oculorum viam profecturis eligerent.* Exemplar fortiſſimi ſimul & prudentiſſimi Ducis hujusmodi deſignationibus ſpecialibus inſtructi antiquiſſimum pariter & ex omni parte perfectum eſt *Joſua* noſter, Populi DEI Imperator. Vir, qui ad hunc ſummæ dignitatis apicem aſcendit, non Ambitione ductus, non Populi fauore leuatus, non ſanguine Regio fultus, non aliarum Dignitatum ſubſidio adjutus, ſed Miles fortis & bonus, vir probus, qui non ſolùm Delineationes ab aliis factas nouit adhibere ad uſum, ſed ipſe Explorator Ichnographiæ generali ante εἴσοδον factæ adfuit, & fortè labores ipſe ſuos mutuos contulit, fidus DEO καλάσκοπος effectui dans, quod mandauerat Moſes. Num. XIII. 18. *Aſcendite hac Meridiem verſus, ut tranſcendatis montes. Conſiderabitis autem Terram qualis ſit, & populum, qui in ea habitat, fortisne ſit an debilis, exiguusne ſit, an multus. Qualis (inquam) ſit Terra, in qua ille habitat, bona an mala: quales deinde ciuitates, in quibus ille (populus) habitat, in caſtrisne, an in munitis locis (habitent). (Aſcendite per Meridianam plagam: cumque veneritis ad Montes, conſiderate Terram, qualis ſit: & populum, qui habitator eſt ejus, utrum fortis ſit an infirmus, pauci numero an plures: ipſa Terra, bona an mala: urbes quales, muratæ an absque muris.)* Nunc opus habet Joſua non *Geometria* duntaxat *militari*, ſed quoque *legali*. Non ſolùm occupanda eſt Terra, ſed quoque inter Tribus diſtribuenda. Jubet hinc v. 4. *dare tres viros ex quaque Tribu, ut mittat eos, qui ſurgant & perambulent Terram, & deſcribant eam juxta hæreditatem ſuam. (Eligite de ſingulis tribubus ternos viros, ut mittam eos; & pergant atque circumeant terram, & deſcribant eam juxta numerum uniuscujusque multitudinis.)* Et v. 9. *Ite & per-*

Ios. Cap. XVIII. v. 9.
Israelitæ Geographi.

Buch Josua Cap. XVIII. v. 9.
Die Beschreibung Canaans.

G. D. Heuman sculp.

perambulate Terram, & deformate eam. Qui viri ad obsequia prompti *surgentes abierunt.* Et colligere facile est ex ipso, quem confecerant, dispartitionis Indice, non fuisse Rescriptum Politicum duntaxat, & generale, sed Geographicum, quo ductæ à termino ad terminum Lineæ, denominata Flumina, Montes, Fontes, Valles, Maria, Urbes, Campi, Lapides, quæ omnia justas conficiunt Mappas. Justo proin titulo in hæc Josuæ tempora referimus antiquissimas Mappas, quarum inuentio aliàs à *Strabone* L. I. adscribitur *Anaximandro Milesio,* τὸν μὲν ἓν ἐκδόναι πρῶτον γεωγραφικὸν πίνακα, ut & à *Laërtio* in ejus vita. Vixit autem Anaximander circa A. 560. ante CHRISTUM natum. Vel quid aliud erit סֵפֶר *sepher, liber,* quàm Πίναξ, *Mappa?*

Sed Quæstio heic, quâ Methodo Exploratores hi Geometræ usi fuerint ad conficiendam adeò breui tempore vastissimæ Regionis Mappam? Huic Quæstioni, & Lectori simul curioso ut satis quodammodo fiat, necesse habeo, sed applicatiue ad præsentem Historiam, & concisâ breuitate, proponere varios Mappis conficiundis idoneos modos.

Monendum, veluti in antecessum, Geometriam Israelitis non potuisse esse ignotam, quia floruit, imò ex optimorum Scriptorum mente nata fuit in Ægypto. Ostendit disertè *Herodotus* L. II. 109. fuisse Geometriam Ægyptiis necessariam quam maximè, & Nilo quotannis Ægyptum inundante Regem Geometris dedisse in mandatis, ut Agrorum limites redintegrarent, suumque cuiuis attribuerent: imò transiisse scientiam hanc ex Ægypto in Græciam. Δοκεῖ δέ μοι ἐντεῦθεν γεωμετρίη εὑρεθεῖσα εἰς τὴν ἑλλάδα ἐπανελθεῖν. Meretur heic exscribi Locus ex *Strabone* L. XVII. ἐδέησε δὲ τῆς ἐπ' ἀκριβὲς καὶ κατὰ λεπτὸν διαιρέσεως διὰ τὰς συνεχεῖς τῶν ὅρων συγχύσεις, ἃς ὁ Νεῖλος ἀπεργάζεται, κατὰ τὰς αὐξήσεις, ἀφαιρῶν καὶ προστιθεὶς, καὶ ἐναλλάττων τὰ χώματα, καὶ τἄλλα σημεῖα ἀποκρύπτων, ὃις διακρίνεται τότε ἀλλότριον καὶ τὸ ἴδιον. ἀνάγκη δὴ ἀναμετρεῖσθαι πάλιν καὶ πάλιν. Ἐντεῦθεν δὲ καὶ τὴν Γεωμετρίαν συγχωρῆσαι, Φασιν, ὡς τὴν Λογιστικὴν καὶ Ἀριθμητικὴν παρὰ Φοινίκων, διὰ τὰς ἐμπορίας. *Opus autem fuit tam diligenti ac subtili locorum diuisione, propter continuas finium confusiones, quas Nilus auctus efficiebat, aliis addens, aliis adimens, & immutans figuras, & signa obruens, quibus proprium discernebatur ab alieno. Itaque identidem dimetiri oportebat. Atque hinc ab Ægyptiis Geometriam credunt inuentam fuisse, quemadmodum Ratiocinandi scientiam & Arithmeticam à Phœnicibus propter mercaturas.* Eadem prope habet *Diodorus Siculus Biblioth. Hist.* L. I. Imò memorat *Josephus* additos Exploratoribus illis Geometriæ peritos, qui Arti conuenienter Regionem descripserint. Ἄνδρας τὲς ἐκμετρησομένες τὴν χώραν αὐτῶν ἐξέπεμψε, παραδὲς αὐτοῖς τινας Γεωμετρίας ἐπισήμονας, ἃς τ' ἀληθὲς ἐκ ἔμελλε χρήσεσθαι διὰ τὴν τέχνην.

Pergo nunc ad methodos varias, quibus quidem Mappæ Geographicæ confici possunt.

I. Certissima simul & accuratissima est Astronomica, qua per Obseruationes Astronomicas Eclipsium Solarium, Lunarium, Jouialium, cujusuis Loci punctum, computata tum Longitudine tum Latitudine, determinari potest. Non est hæc Methodus huc applicabilis: Adsint oportet Obseruatoria, Quadrantes notabilis magnitudinis in gradus & minuta exactissimè diuisi, Telescopia, Horologia Astronomica cum secundis, alia magni pretii Instrumenta, & requiritur insuper sedes fixa, tempus opportunum. Imo ne hodie quidem usui est hæc Methodus ad conficiendas Mappas speciales, sed duntaxat ad determinandos præcipuarum Urbium situs. Quo cognito, Globoue vel Mappæ generali inscripto, cujusuis urbis περίχωρος vel Regio quibusdam intermedia delineatur ope unius ex sequentibus Methodis.

II. Altera Methodus, quæ Geometrica est, fit per Triangula & Intersectiones: eligitur Linea duorum locorum eminentium stationaria, mensurantur in stadiis, Milliaribus, passibus, pedibus: determinantur hujusdem Lineæ Plagæ: hac Lineâ posita mensuratur pariter alius loci ab uno priorum distantia, obseruatis simul plagis: ita obtinetur Triangulum in charta, quod trium e. gr. Urbium situi respondet. Ita per viam Triangulorum pergitur ab uno Regionis loco ad alium. Hac methodo uti poterant à Josua emissi Geometræ, quandoquidem non opus est nisi Itinere ab uno loco ad alium, & obseruationum præcisâ adnotatione.

III. Tertius modus est rursum Geometricus, sed artificiosus magis, fitque ope *Mensulæ Prætorianæ*, & tanta commoditate, ut ex duorum Locorum distantia cognita per Intersectiones inueniri queant Loca, quot alia videri queunt cunque. An verò Instrumentis hujusmodi usi fuerint Israelitæ, haud constat.

IV. Modus quartus est opticus, & conjicit totam aliquam Regionem in chartam ope *Cameræ obscuræ.* Haud autem vero est simile, usos fuisse Israelitas hac methodo.

V. Jucundam & exactam simul, Geometriâ Astronomicâ fundatam methodum docet *Chevalier* in *Hist. Acad. Scient. Gall.* A. 1707. p. 113. Obseruat is alicubi Amplitudinem Horizontis, siue Locum Ortus Solis in Æquinoctio & Solstitio. Lutetiæ Parisiorum e. g. Amplitudo Solstitialis est 37. gr. Hi 37. gradus maximam dant trium Mensium amplitudinem inde ab Æquinoctio siue 0°. cui Arcui inscribi possunt ex Amplitudinum Tabula singuli trium horum Mensium dies, vel etiam spatia 5. dierum. Consignatis ita reliquis 9. Mensibus in charta, & huic superimpositâ Tabulâ siue chartâ densiori locat obseruator in centro locum obseruationum suarum; seligitque περίχωρον 2. milliarium, ducens octo circulos concentricos, distantes proin ab inuicem ¼. milliaris, utens

ad hunc finem Scala Geometrica pro lubitu. Hoc facto erigit Operator duos ſtylos ferreos perpendiculariter, unum in Centro, alterum in gradu illo, qui diei obſeruationis reſpondet, & ad id duntaxat attendit, ut Oriente Sole utriusque Styli umbra ſit in eadem Linea recta. Hoc Inſtrumento ita adaptato, &, uti loqui amant Galli, Orientato, fixoque reddito ſiue immobili, dirigit Operator Regulam ſuis inſtructam dioptris ad ſingula, quæ quidem videre poteſt, Loca, ducitque eò Lineas, quas vocant cœcas, ſiue indeterminatas: in quibus ipſis Lineis ſtatim collocari queunt diſtantiæ Locorum, ſi eæ ſint cognitæ in ſemihoris, vel horarum quartis, ſiue determinari puncta Locis illis reſpondentia. Hac Methodo poſſint facile 30. 40. Homines ſinguli ſuis inſtructi inſtrumentis (heic haberemus 36) breui temporis ſpatio integram quandam Regionem transferre in Mappam. Singuli nempe ſuas adferunt Delineationes, quas Geometra dein coadunare nouit in unam Mappam. De hac Methodo obſeruandum, niti equidem principiis & Inſtrumentis Aſtronomicis: ſed Inſtrumentis ſemel paratis in uſum trahi poſſe à quouis etiam Geometriæ ignaro, & hac quidem, de qua ſermo eſt, occaſione commodiſſimè potuiſſe deduci ad uſum, ſi modò unus duntaxat Iſraelitarum Orbem illum fundamentalem exarare potuerit.

VI. Poteſt confici breui ſatis tempore Mappa alicujus Regionis ope Pyxidis Nauticæ, quam dioptris ſuis inſtructam ſubſtituimus hodie ipſi Menſulæ Prætorianæ. Explanarem & hanc, qua uti frequenter ſoleo, methodum, ſi vel conjecturæ eſſet locus, fuiſſe Acus magneticæ uſum illo tempore, quo Joſua vixit, cognitum. Et præterea citius fere oſtenditur Praxis ipſa in campo, quàm deſcribitur.

VII. Par ratio eſt methodi, quam Phyſica moderna Experimentalis ſuggerit, & quaSono mediante Mappa confici poteſt. Certos quippe nos reddunt obſeruationes, inprimis à diligentiſſimo *Derhamo* inſtitutæ, ſonum progredi per Anglicum milliare ſpatio 9½. dimidiorum ſecundorum, per duo milliaria ſpatio 18½. per tria 27¾. & ita porrò. Ut proin non opus ſit, niſi ductis ad loca conſpicua lineis, certâ quadam Noctis horâ eminenti alicujus pagi loco, e. gr. Turri explodere ſclopetum ſiue Tormentum, & ut Obſeruator ad Horologium Aſtronomicum præciſum obſeruet tum flammæ viſæ, tum ſoni aduentantis tempus, pro obtinenda diſtantia. Sed non quadrat huc, imò vel omnium minimè, hæc Methodus, quia deſunt Horologia cum ſecundis horumue dimidiis, deſunt Tormenta, Sclopeta, Mortaria, deeſt notitia de ſoni, qualem hodie habemus, progreſſu.

SUPPLEMENTA IN JOSUAM.

Joſ. Cap. II. verſ. 18.

Si ingreſſis nobis in Regionem coccinum iſtum funem ligaueris in feneſtra, per quam nos demittis, inque domum tuam congregaueris ad te Patrem tuum, Matrem tuam, & fratres tuos, quin & totam familiam patris tui.

Si ingredientibus nobis Terram, ſignum fuerit funiculus iſte coccineus, & ligaueris eum in feneſtra, per quam demiſiſti nos; & patrem tuum ac matrem, fratresque & omnem cognationem tuam congregaueris in domum tuam.

DE *Coccino* ſiue coccineo colore שָׁנִי actum fuſius ad Exod. XXV. 4. & demonſtrata origo ex Vermiculo. תִּקְוַת חוּט הַשָּׁנִי *linea fili coccinei*, nobis *coccinus funis, die Schnur des roſinfarben Seils*, forte haud fuit Funis cylindricæ figuræ, ſed lata quædam Faſcia, quæ eminus conſpici potuerit: panni nempe coloris coccinei. Hinc reddit *Clericus textum fili coccinei.* Et in Chaldaica Lingua קְוָאי *Keuai* deſignat Textorem, à qua radice ipſum noſtrum deriuatur תִּקְוַת.

Joſ. Cap. XXIV. verſ. 12.

Miſi inſuper crabrones ante faciem veſtram, qui expulerunt eos ante conſpectum veſtrum, nempe duos Reges Amorræorum: non autem gladio tuo, aut arcu tuo.

Miſique ante vos crabrones: & ejeci eos de locis ſuis, duos Reges Amorrhæorum, non in gladio & in arcu tuo.

Vid. Exod. XXIII. 18.

IUD. Cap. V. v. 31.
Sol in fortitudine oriens.

Buch der Richt. Cap. V. v. 31.
Die aufgehende Sonnen-Macht.

G.D. Heuman sculp.

LIBER JUDICUM.

TAB. CCCLXXIII.

Jud. Cap. V. verſ. 20.

De cœlis pugnatum eſt, Stellæ inquam è ſtationibus ſuis pugnarunt cum Siſera.

De cœlo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo, aduerſus Siſaram pugnauerunt.

OCcurrunt in Cantico Deboræ & Baraki triumphali aliæ formulæ loquendi Meteoricæ & Metaphoricæ v. 5. *Montes fluxerunt à facie DOMINI, Sinai iſte ante DOMINUM DEUM Iſraelis.* Nemo non videt, non accipienda hæc eſſe ſenſu literali, quod Montes, vaſtæ molis ſolida corpora, fluxerint inſtar Aquæ, vel alius Fluidi. Interpretatio genuina hæc eſto, nîl adeò eſſe ſolidum, quin DOMINO ejusque Potentiæ cedere cogatur, ut heic 900. ferrei currus Jabini totusque Exercitus à parua Naphthalitarum & Sebulonitarum manu fuere cæſi. Iisdem penè verbis DOMINI Potentiam collaudat Regius Pſaltes Pſal. XCVII. 5. *Montes à conſpectu DOMINI tanquam cera colliqueſcebant, à facie inquam Dominatoris uniuerſæ Terræ. (Montes ſicut cera fluxerunt à facie DOMINI: à facie DOMINI omnis Terræ.)* Par eſt hujus, de quo nunc, Textus ratio. Nemo dixerit vel ſuſtinuerit facile, deſcendiſſe Fixas, vel Planetas, vel & Satellitum quempiam in Terram, ut auxilio venirent Deboræ & Barako contra Siſſeram. Admittamus licet veritatem Teſtimonii illius *Claudiani* de *Theodoſio*:

> O nimium dilecte Deo, cui militat Æther,
> Et cui conjuncti veniunt ad Claſſica Venti.

Nulla tamen nos cogit neceſſitas aſcendendi in altius illud Cœlum, ad Sydera vel Fixa vel Erratica. Eſt Aereum cœlum contra Siſſeram non minus quàm contra Theodoſii hoſtes Armamentarium inſtructiſſimum. Neque altius quàm in Aerem aſcendit *Joſephus Ant.* L. V. c. 5. al. 6. ubi Stellarum contra Siſſeram pugna eſt ſæua Tempeſtas. προσμιγέντων αὐτῶν ὄμβρος, (al. χειμὼν) ἐπιγίνεται μέγας, καὶ ὕδωρ πολὺ καὶ χάλαζα, τὸν ὑπόντε κατὰ πρόσωπον ἤλαυνε τῶν Χαναναίων ἄνεμος, ταῖς ὄψεσιν αὐτῶν ἐπισκοτῶν, ὡς τὰς τοξείας ἀχρήστες αὐτοῖς εἶναι, καὶ τὰς σφενδόνας. Ὅτε ὁπλίται διὰ τὸ κρύος χρῆσθαι τοῖς ξίφεσιν ἐκ εἶχον. Τὰς δ' Ἰσραηλίτας ἧττόν τε ἔβλαπτε κατόπιν γενόμενος ὁ χειμὼν, καὶ πρὸς τὴν ἔννοιαν τῆς βοηθείας τῶ ΘΕΟΥ θάρσος ἐλάμβανον. *Acie dimicantibus magna ingruit tempeſtas, cum largo Imbre & Grandine: ventusque in aduerſos Chananæorum vultus pluuiam egit, oculis eorum caliginem objiciens, ita ut jacula & fundæ illis nulli fuerint uſui. Grauis etiàm armaturæ milites præ torpore gladios tenere non poterant. Iſraelitas vero tempeſtas, terga eorum diuerberans, & minus offendebat, & inde majores animos ſumebant, cogitantes, DEUM ſibi in auxilium veniſſe.* De hac Tempeſtate nihil legimus in Scriptura, poteſt tamen hæc Joſephi relatio ſubſiſtere juxta cum aliis Judæorum traditionibus. Minoris valoris eſt *Clerici* conjectura, qui per ſtellas intelligit Angelos, qui Hoſtium Mentes conturbauerint. Interea occurrit in Textu noſtro Phraſis Aſtronomica מְסִלּוֹתָן *mimmſillothan*, quam Arias reddit *Exaltationes* à סֻלָּם *Salam*, *gradus*. Latina noſtra habet *Stationes*, vernacula *den Lauff*, *Clericus orbitas*. Nec malè. Notum, Stellas, nempe Erraticas, curſum ſuum proſequi in orbibus vel orbitis ellipticis, & haſce nunquam excedere. Si quis fortè Aſtrologus per *mimmſillothan* intellexerit certas quasdam Siderum influentias, iis cum omni ἀστρομαντεία dicimus vale.

Jud. Cap. V. verſ. 31.

Qui diligunt eum, ſint ſicut Sol, quum oritur in fortitudine ſua.

Qui autem diligunt te, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendet, ita rutilent.

EST hic Locus ex iis, quibus pugnari ſolet contra Copernicanos. *Sol* diſertis verbis dicitur *oriri*, ut alibi occidere. Sed parum curant illi hujusmodi tela, utpote inualida. Solis ortus aliud nihil eſt, quàm recomparitio in eodem, quo ante non videbatur, Horizonte: quemadmodum occaſus disparitio ſiue occultatio ſplendidi illius Sideris ſub Horizonte occiduo. Utrumque hoc præſtat Copernicanorum Sol æquè ac Ptolomaicorum. Terrâ ab occaſu versùs ortum circa Axim gyrata, neceſſe eſt unum Terræ punctum poſt aliud, Prouinciam unam poſt aliam ex caligine Noctis prodire, à Sole illuſtrari, id eſt, Solem reſpectu unius alteriusue Prouinciæ, imo omnium ſucceſſiuè, oriri. Quo eodem ſenſu mentio fit paſſim, Joſ. VI. 15. 1. Sam. IX. 26. *Orientis Auroræ*, id eſt, comparentis. Nemo ſanè vel ex rigidiſſimis Ptolomaismi defenſoribus eò delabitur abſurditatis, ut credat, vel ex citata modò Phraſi euincere prætendat, eſſe Auroram corpus aliquod manè ſurgens, Meridie culminans, veſperi occidens. Et quid, quæſo, locutio illa, *Sol oritur in fortitudine ſua?* Nonne Fons hic Lucis calorisue inexhauſtus ſemper eſt idem? eſtne Sol oriens fortior culminante? oriturne aliquando non in fortitudine ſua? Vidit facile quiuis, loqui Deboram in hoc ſuo Cantico cum vulgo, imo cum ipſis Copernici aſſeclis, quibus Sol etiam oriens eſt & occidens, imò Eclipſin patiens, quum tamen certiſſimum ſit, nil pati tunc Solem, ſed eclipſari Terram. *Oritur* heic *Sol in fortitudine ſua*, ſicubi Atmosphæra à craſſioribus variis vaporibus liberata radios Solis transmittit absque ullo obſtaculo. Et quadrat pulcherrimè hujus ἐξηγήσεως applicatio, quâ Debora *orientem in fortitudine ſua Solem* confert iis, *qui diligunt* DEUM. Non ſanè diligit Eum Animus peccatis veluti incruſtatus, Paſſionum variarum nebulis ſurgentibus obfuſcatus. Non hac trajiciunt Amoris & Gratiæ Diuinæ radii, ut admittit & transmittit Mens pura, à ſordibus peccaminoſis defæcata, DEI voluntati unicè intenta, cujus Intellectus eſt illuminatus, Voluntas ſancta. Tunc enim demum cognoſcimus DEUM & amamus, ſi à vi actiua Solis illius Juſtitiæ diſpelluntur vapores, qui turmatim nos cingunt. Sed eſt inſuper attendenda Phraſis in Textu obuia. כְּצֵאת הַשֶּׁמֶשׁ *Arias* vertit *ſecundùm exire ſolis*, à יָצָא *exiuit, prodiit, digreſſus, progreſſus, egreſſus eſt*, & LXX. καὶ οἱ ἀγαπῶντες αὐτὸν ὡς ἔξοδος ἡλίε ἐν δυνάμει αὐτε. Quod exire Solis, quæ ἔξοδος, qui exitus, ad Literam aliud nihil eſt; quàm majeſtatica ut totius Vorticis Planetarii, ita Terræ colluſtratio: Solaris Lucis & Caloris ex Centro Vorticis ad περιφερίαν ἔξοδος; cujus fortitudo, vis, conſtat ex Solis actione in omnes Planetas, qui absque hac ἐξόδῳ denſiſſimis continuò immerſi forent tenebris, & rigido rigeſcerent gelu, omni Creaturâ viuente orbati; Ἔξοδος Ignis à Centro ad Cœli Solaris circumferentiam, ea diſtantiâ, quam ne peritiſſimi quidem Aſtronomi metiri prætendunt. Et eſt hæc ἔξοδος non tam Globulorum cœleſtium preſſio, quam finxit *Carteſius*, ſed actualis igneæ materiæ efflux, imò & vis compulſiua grauitati reſpondens. Quam jucundo experimento demonſtrauit *Hombergius Hiſt. de l'Acad. Roy.* 1708. p. 21. qui, ope Lentis cauſticæ pedalis diametri, radios Solis collectos illabi fecit in vectem Elateri Horologii applicatum, & hujus motum accelerauit. In ſenſu myſtico, ſi Sol ipſe, Lucis & Caloris fons, eſt ipſe CHRISTUS Juſtitiæ Sol, fideles, quibus etiam ἔξοδος adſcribitur, commodè comparari queunt cum Speculo, in quo concentrati radii, indeque reflexi radii præſentant etiam in viribus ſuis & actionibus alterum Solem.

Pro faciliori intellectu Copernicani Syſtematis ad marginem ſiſtitur influxus Solaris Lucis in Terram, motu diurno ab A. verſus C. B. D. gyratam, in qua A. gaudet Oriente Sole, B. Occidente.

IUD. Cap. VI. v. 19. 20. 21.
Sacrificium Gedeonis.

Der Richt. Cap. VI. v. 19. 20. 21.
Gideons Opfer.

G. D. Heüman sculp.

TAB. CCCLXXIV.

Jud. Cap. VI. verſ. 19. 20. 21.

19. Ingreſſus itaque Gedeon parauit hœdum ex Capris, & Epha farinæ, placentas infermentatas cum carne poſuit in caniſtro, jus verò carnium in olla. Quumque hæc ad illum extuliſſet, obtulit ei ſub Ulmo.

20. Et dixit ad illum Angelus DEI: Tolle carnem & placentas infermentatas, & repone ea ſuper petram iſtam, & effunde jus. Et ille ſic fecit.

21. Et mittens Angelus DOMINI extremitatem baculi, quem manu tenebat, tetigit carnem & Panes infermentatos, aſcenditque Ignis de Petra, & abſumpſit carnem, & Placentas infermentatas. Angelusque DOMINI abiit à conſpectu ejus.

19. Ingreſſus eſt itaque Gedeon, & coxit hœdum, & de farinæ modio azymos panes: carnesque ponens in caniſtro, & jus carnium mittens in ollam, tulit omnia ſub quercu, & obtulit ei.

20. Cui dixit Angelus DOMINI: Tolle carnes & azymos panes, & pone ſupra petram illam, & jus deſuper funde.

21. Cumque feciſſet ita, extendit Angelus DOMINI ſummitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azymos: aſcenditque ignis de petra, & carnes azymosque panes conſumpſit: Angelus autem DOMINI euanuit ex oculis ejus.

BIna extant in hoc Capite Miracula in binis Elementis patrata, Igne & Aqua. Utrumque Gedeoni erat in τεκμήριον Diuini Auxilii. Bina & miraculoſa ſolennitate inaugurari debebat vir fortis pro Imperatoria dignitate. Primò quidem θεῖλατος *Ignis aſcendit de Petra*, qui ut heic *abſumpſit* ſacrificium cibarium, *carnem & placentas infermentatas*, ita & aliis occaſionibus accendit victimas: In Abelis ſacrificio, ſi fides eſt *Abenezræ*, & *Theodotionis* verſioni, καὶ ἀνεπύρισεν: In ſacrificio Moſis Lev. IX. 24. In aliis, ſuo quæque loco memorandis. Aſcendit & in Veſuuio paſſim Ignis è ſaxorum fiſſuris. Et exhibet Philoſophia Experimentalis Calorem & Ignem ex mixtura duorum corporum actu frigidorum: calorem & fumum dant commixta aqua & Calx viua, Aqua Fortis & Limaturæ metallorum: Ignem Spiritus Nitri cum Oleis aromaticis orientalibus. Sed heic nil tale: Nec Vulcanus adeſt, nec officina chymica. *Parat Gedeon* hoſpiti DEO *hœdum ex Capris* גְּדִי עִזִּים & *Epha farinæ*, juxta computum meum quartale Tigurinum & 2$\frac{2}{3}$. modios: *Placentas infermentatas cum carne poſuit in caniſtro, jus verò carnium in olla*, in conuiuium hæc oblaturus *ſub Ulmo*. Sed aliud imperat *Angelus* DOMINI. *Tolli* debebat *caro*, & *placentæ infermentatæ*, & *reponi ſuper petram iſtam*, & *effundi jus*. Nemo non heic, niſi cœcus, videt tranſcendere Proceſſum hunc omnes Naturæ vires: requiri ad conſumptionem hujus Sacrificii non calorem ſolum, non fumum ex efferueſcentia ortum, non Ignem, quem Philoſophia dat Experimentalis, tranſitorium, ſed multùm Ignis. Attamen nec adeſt Sulphur, nec Pix, nec materia alia inflammabilis, ſed caro elixa unà cum juſculo, & placentæ infermentatæ. Proceſſum integrum exhibet v. 21. *Mittens Angelus DOMINI extremitatem baculi, quem manu tenebat, tetigit carnem & panes infermentatos, aſcenditque Ignis de Petra, & abſumpſit carnem, & Placentas infermentatas*. Heic omne Ratiocinium ceſſat. Manifeſtum eſt Miraculum.

Significat אֵל *el* & אֵלָה *elah Quercum*, δρῦν, vel in genere glandiferam Arborem, neque eſt inter has voculas niſi ſexus diſcrimen, unam maſculinam fœmininam alteram. Idem notant אֵלָה *allah* & אַלּוֹן *allon*. Eſt hoc diſcrimen ſexus antiquiſſimum, vetuſtiſſimis Botanicis memoratum, ſed neſcio qua, niſi fortè magnitudinis, ratione fundatum. Et adhuc eſt alia *Quercus latifolia mas, quæ breui pediculo*

eſt C. B. alia *Quercus latifolia fœmina* C. B. per omnia minor. Sed ſunt Quercus varia genera apud *Theophraſtum* III. *Hiſt.* 9. ἡμερὶς, αἰγίλωψ, πλατύφυλλος, φηγὸς, ἀλίφλοιος (quæ affinis dici poſſet noſtræ אֵלָה). *Gaza* ſic vertit: *Roboris genera habentur, placida, Cerrus, latifolia, Fagus, ſalſicortex*, quam aliqui recticorticem vocant. Unde autem Latina noſtra petierit *Ullmum*, quæ alia longè eſt à Quercu Arbor, mihi non conſtat. Niſi ſumſerit Translator אֵלָה pro omni Arbore, ut ſanè priſcis Græcis hæc fuit ſignificatio generalis Δρυὸς, ut *Glans* notabat omnem fructum. Sed cur ex omni Arbore ſelegit *Ullmum?* fortè ex affinitate cum אֵלָה?

TAB. CCCLXXV.

Jud. Cap. VI. verſ. 36. ad fin.

36. Et dixit Gedeon ad DEUM, ſeruabisne Iſraelem per manum meam, ſicut loquutus es?

37. En ego ponam vellus lanigerum in area, quod ſi Ros fuerit duntaxat in vellere, reliqua humo ſicca manente, cognoſcam Iſraelem liberandum eſſe per manum meam, quemadmodum loquutus es.

38. Atque ita factum eſt: nam quum poſtero die manè ſurgeret, excutiens vellus illud, expreſſit Rorem ex vellere phialam plenam aquâ.

39. Ait autem Gedeon rurſus ad DEUM. Ne quæſo excandeſcat ira tua aduerſum me, ſi adhuc ſemel loquar, nam tentabo adhuc ſemel illo vellere: ſit quæſo ſiccitas in ſolo vellere, & ſuper uniuerſam terram ſit Ros.

40. Fecitque DEUS ſic nocte iſta, nam fuit ſiccitas in ſolo vellere, & in omni terra fuit Ros.

36. Dixitque Gedeon ad DOMINUM: Si ſaluum facis per manum meam populum Iſrael, ſicut locutus es.

37. Ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quod per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſrael.

38. Factumque eſt ita: & de nocte conſurgens, expreſſo vellere, concham rore impleuit.

39. Dixitque rurſus ad DOMINUM: Ne iraſcatur furor tuus contra me, ſi adhuc ſemel tentauero, ſignum quærens in vellere: Oro, ut ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens,

40. Fecitque DOMINUS nocte illa, ut poſtulauerat: & fuit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni Terra.

EST *Ros*, præſtantiſſimus ille Liquor, deſtillatum quid ex Plantis, & his ipſis Aqua Cordialis. Reddit proles Matri, & fideliter, quod ab ea accepit. Subjectum hoc eſt, in quo nunc intra duo nychthemera duplex patratur Miraculum, quo nempe excitari debebat, & veluti inaugurari, Gedeon ad liberandos Iſraelitas à Madianitarum jugo. *Ponit* Heros גֵּז *gizab, vellus lanigerum*, id eſt, ouium, aut agnorum, *in area*, nempe non tecto operta, ut ſunt noſtræ horreorum, ſed ſub dio poſita, in qua grana ventilare ſolebant, vel triturare. Et conjecturare facile, fuiſſe hujusmodi Areas rotundas ſiue circulares, ut boues in iis in gyrum acti grana pedibus triturarent. גֹּרֶן *goren* Hebræis hæc Area dicitur, & hinc fortè Græcis γῦρος *pro gyro, ambitu.* Sane Græcorum ἄλως vel ἄλων, *area*, etiam pro *circulo* ſumitur. *Æſchylus* in Tragœdia *Septem ad Thebas* v. 441.

Ἄλω δὲ πολλὴν (ἀσπίδος κύκλον λέγω)

Et multam Halo (Clypei circulum dico)

In

TAB. CCCLXXV.

IUD. Cap. VI. v. 36. ad f.
Miracula areæ.

Buch d. Richter Cap. VI. v. 36. ad fin.
Gideons Thau und Wunder-Tenne.

G. D. Heüman sculp.

IUD. Cap. VIII. v. 7 - 16.
Consignatio Rebellium ad poenam.

Buch der Richt. Cap. VIII. v. 7 - 16.
Aufgezeichnete Rebellen.

I. A. Fridrich sculps.

IUD. cap. VIII. v. 7-16.
Suchotani ſpinis cæsi.

D. der Richt. Cap. VIII. v. 7-16.
Mit Dornern gedüchtigte Rebellen.

I. A. Fridrich sculp.

In *Polluce* ἄλως in oculo eſt ὁ ὑπὸ τὴν ἶριν κύκλος, ὁ τῷ λευκῷ πρόσωπον, circulus ad Irim albugini proximus. Et Phyſicis nota *Halonis* vox pro Circulo circa Solem vel Lunam, *Senecæ Circulus Siderum.* Hujusmodi Areas rotundas ſub dio locatas, in quibus grana triturant jumenta, in *Capite Bonæ Spei* apud *Hottentottos* obſeruauit exactiſſimus *Kolbius* p. 112. 118. In tali Area nunc *ponit* Gedeon *vellus*, petitque à DEO *Roris Domino* Mich. V. 7. ut *Ros ſit duntaxat in vellere, reliqua humo ſicca manente.* Nemo non nouit, cadere Rorem ex æquo in omnem ſuperficiem Terræ, non quòd ſemper rectà in idem punctum decidat, è quo bullularum ſpecie fuit eleuatus, leui enim Aurâ hæ bullulæ feruntur hac illac, ut omninò potuerit delabi Ros ex Plantis ſurgens in ipſum Vellus: ſanè ex vellere ipſo aſcendiſſe Rorem, & in idem deſcendiſſe, nemo, qui ſanæ eſt mentis, ſibi facilè perſuadebit. Decidit ergo primo die Ros ex plantis eleuatus in ſolum vellus *reliqua humo* nempe pratorum agrorumue vicinorum *ſicca manente:* Imo ea decidit copia, ut *excutiens vellus illud, expreſſerit rorem ex vellere phialam plenam aquâ.* סְפַל *ſephel*, *ſimpulum Scaligero*, rectius vas patens & ſatis amplum, quod pro *pelui* ſumitur in *Misna Tract. Baua Bathra* c. 4. unde & Græci λεκάνην reddunt, Chaldæus & Syrus *lakna*, Arabs *ſetel*, id eſt, *ſitulam*, hauſtrum anſatum, quo qui in Balneis lauantur Aquam hauriunt; *Hieronymus Concham*, nos rectè quoque *Phialam, eine Schale*, quæ *Athenæo* eſt χάλκειόν τι καὶ ἐκπέταλον, λεβητῶδες, δύο ὦτα ἔχων ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν, *æneum quid & patulum, lebeti ſimile, ex utraque parte auritum.* Quæ explicatio benè fundata inſeruit augendo miraculo, & demonſtrandæ Roris ſat magnæ copiæ. Cui extenuando mentem fortè Gedeonis ſubiit, abſtuliſſe ventum omnem ex pratis agriſue vicinis Rorem, & huc, ad vellus, appuliſſe: vel, vellus hocce vi quaſi Magneticâ ſeu attractiua Rorem gramini inſidentem ad ſe traxiſſe. Propterea tentat DEUM Gedeon, infirmus fide, non peruicax, & pro poſtero die petit, ut, inuerſo experimento, *ſit ſiccitas in ſolo vellere, & ſuper uniuerſam Terram Ros.* Et en! voti ſui fit compos, *fecit DEUS ſic nocte iſta*, fuit is proin Ros nocturnus, non matutinus, *nam fuit ſiccitas in ſolo vellere, & in omni Terra fuit Ros.* Promptè adeſt DEUS ſuis, & horundem precibus prior. De modo, quo utrumque hoc Experimentum miraculoſum factum fuerit, haud ſumus ſolliciti, quia utrumque viribus Naturæ eſt ſuperius. Sufficit nobis demonſtraſſe Miraculum, ut ſuffecit Gedeoni, applicaſſe ad DEI gloriam. Conf. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 49.

TAB. CCCLXXVI. CCCLXXVII.

Jud. Cap. VIII. verſ. 7. 16.

7. Gedeon ait: Quum igitur DOMINUS tradiderit Sebah & Zalmuna in manum meam, atteram carnem veſtram ſpinis ac tribulis deſerti.

16. Accepit itaque Seniores Ciuitatis, ſpinas atque tribulos deſerti, & docuit (a) illis ciues Succoth.

(a) Docuit vel erudiuit eos: Schema Ebraicum ſimile Germanico, *Er lart ſy*, hoc eſt, caſtigabat aut puniebat.

7. Quibus ille ait: Cum ergo tradiderit DOMINUS Zebee & Salmana in manus meas, & cum reuerſus fuero victor in pace, conteram carnes veſtras cum ſpinis, tribulisque deſerti.

16. Tulit ergo Seniores ciuitatis, & ſpinas deſerti ac tribulos, & contriuit cum eis, atque comminuit viros Socoth.

SUnt heic *Spinæ* perduellium ſupplicia. קוֹץ *Kots* generale *Spinæ* vocabulum. Gen. III. 17. 18. Maledictionis & Symbolum, & effectus. Sed בַּרְקָנִים *barkanim* denotat haud dubiè ſeu genus ſeu ſpeciem quandam peculiarem. Sed qualis ſit, in incerto eſt admodùm. Hæſiſſe videntur ipſi LXX. qui ſeruant originalem vocem Βαρκονείμ, Βαρκομμείν, Βαρακηνείμ. Plerique Interpretes reſpexiſſe videntur ad Radicem בָּרַק *barak*, *fulgurauit*, ſed hi rurſus fluctuant in incerto, ut neſcii ſimus, an intelligi debeat, quæ fulguris inſtar penetrabilis eſt & urens, vel talis frutex, qui fulgidas & ſplendentes habet Spinas? *Junius & Tremellius*, atque *Coccejus* reddunt *Oxyacanthas, ſpinas acutas.* Sed nec hi nodum, ut quidem deſideramus, ſoluunt. *Oxyacanthæ* deſcriptio apud Veteres adeò eſt

diuersa, & obscura, ut difficile sit eam præcisè alligare certæ speciei. An huc pertineat *Mespilus Apii folio sylvestris spinosa, siue Oxyacantha* C. B. quam ipse pro ὀξυακάνθα *Dioscoridis* L. I. c. 122. habet post *Matthiolum*, *Lacunam*, *Turnerum*, *Dodoneum*, *Cordum*, *Gesnerum*, *Bellonium*, *Lobelium*, *Raumolfium*, alios. Fig. A. Tab. CCCLXXVI. an *Oxyacantha Dioscoridis siue Spina acuta Pyri folio.* C. B. quam pro Oxyacantha legitima agnoscit *Anguillara*, & pro *Pyracantha Lobelius*, quasi πυρίνη ἄκανθα ab acumine urentium pungentiumque aculeorum, *Salmasio* judice. Fig. B. CCCLXXVI. an ipsa *Berberis dumetorum* C. B. quæ Oxyacantha *Galeni* videtur *Cordo*, *Tabernæmontano Hermolao*, *Ruellio*, *Tragoo Fuchsio*, *Camerario*. Fig. C. Tab. CCCLXXVII. Priores duæ sibi sunt cognatæ, & *Mespili* habent characterem (Fig. D. ad Tab. CCCLXXVII. marginem) nimirum florem rosaceum, calycem abeuntem in fructum fere globosum, coronatum, carnosum, mollem, unicapsularem ossicula condentem nucleo fœta oblongo. *Tourn. Inst.* p. 641. T. 410. Si desideres unam ex Oxyacanthis Asiaticis, selige, per me lubet, ex *Tournefortii Corollario Mespilum Orientalem Apii folio sylvestrem spinosam, siue oxyacantham flore purpureo : Mespilum orientalem siue oxyacantham foliis hirsutissimis. Berberis* florem habet rosaceum, pistillum abiens in fructum cylindraceum mollem, succi plenum, uno vel altero semine fœtum oblongo. Fig. E. CCCLXXVII. Ex hoc Genere, si accersere lubet speciem ex Oriente, occurrit *Berberis orientalis procerior, fructu nigro suauissimo. Tour. Coroll.* p. 42. Incerti interim hæremus, & veluti spinosis dumetis impliciti, quid seligamus nescii. Pro *Spina* alba, quæ *Mespilus* est, faciunt spinæ rigidæ & acutæ, ligno ipso duriores, quarum unam sub Microscopio auctam sistit Fig. F. CCCLXXVII. Goritiensium nomen *Barazzo bianco*, cujus prima syllaba cum prima τῆ *barkanim* congruit. Pro *Pyracantha* aculei longi & breues rigidi; & quid si ipsa hæc vox descenderet à barkanim? id sanè mihi persuaderem, nisi Pyracantha esset vox haud dubii sensus, composita à πῦρ & ἄκανθα. Pro *Berberi* spinæ minaces, una, duæ, tresue ut plurimùm ex eodem puncto emicantes, non pungentes solùm, sed & scindentes, pœnæ à Gedeone inuentæ aptissimæ; prima pariter Syllaba primæ *barkanim cognata*, & ultima in voce *Amyrbar*, qua Arabes fruticem hunc spinosum denotant.

Jud. Cap. VIII. vers. 26.

Fuitque pondus inaurium aurearum, quas postulauerat, mille & septingentorum aureorum, præter bullas & collaria, vestesque purpureas, quas habuerant Reges Madian, & præter torques, quæ fuerunt in collis Camelorum ipsorum.

Et fuit pondus postulatarum inaurium mille septingenti auri Sicli: absque ornamentis, & monilibus, & veste purpurea, quibus Reges Madian uti soliti erant, & præter torques aureas camelorum.

Æ Quiualent Sicli hi 1700. Auri 810. unciis, drachmis 5. scrupulo uni, granis 10. ponderis Medici : saluo errore calculi.

TAB.

IUD. Cap. IX. v. 8 -15.
Iothami Apologus.

V. der Richt. Cap. IX. v. 8 -15.
Jothams verblümte Schütz-Rede.

I. G. Pintz sculps.

IUD. Cap. IX. v. 8 -15.
Arborum Dialogus.

Der Richt. Cap. IX. v. 8 -15.
Das Bäume - Gespräche.

I. G. Pintz sculps.

TAB. CCCLXXVIII. CCCLXXIX.

Jud. Cap. IX. verſ. 8 - 15.

8. Ibant aliquando Arbores, ut Regem ſuper ſe inungerent; dixerunt ergo ad oleam, imperita nobis.

9. Olea autem reſpondit eis. Num relicta Pinguedine mea, quam in me & Dii & Homines magni faciunt, ibo & ſatagam ſuper Arbores?

10. Dixerunt ergo Arbores ad Ficum: Age tu imperita ſuper nos.

11. Quibus Ficus reſpondit: Num deſerta dulcedine mea, & fructu meo bono, ibo & ſatagam ſuper Arbores?

12. Arbores ergo ad Vineam dixerunt: Age tu imperita nobis.

13. Quibus dixit Vinea: Num deſerto muſto meo, quo exhilaro & Deos & Homines, vadam & ſatagam ſuper Arbores.

14. Dixerunt ergo uniuerſæ Arbores ad (a) dumum: Veni tu, & imperita nobis.

(a) Quidam legunt Rhamnum, alii Cornum.

15. Reſpondit Dumus: Si bona fide ungitis me vobis Regem, venite & confidite ſub umbra mea: quod ſi minus, exeat Ignis ex dumo, & deuoret Cedros Libani.

8. Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe regem: dixeruntque oliuæ: impera nobis.

9. Quæ reſpondit: Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dii utuntur, & homines: & venire, ut inter ligna promouear?

10. Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni, & ſuper nos regnum accipe.

11. Quæ reſpondit eis: Nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructusque ſuauiſſimos, & ire, ut inter cætera ligna promouear?

12. Locutaque ſunt ligna ad vitem: Veni & impera nobis.

13. Quæ reſpondit eis: Nunquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cætera promoueri?

14. Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: Veni & impera ſuper nos.

15. Quæ reſpondit eis: Si verè me regem vobis conſtituitis, venite, & ſub umbra mea requieſcite: Si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani.

JUdicii ſalisque plenus eſt Arborum Dialogus in Jothami Apologo. Stant veluti in foro, & pro Imperio diſputant Arbores ex frugiferis præcellentiſſimæ cum Frutice, ſeu Arbore, quæ non profert niſi ſpinas, & fructus vel exigui, vel nullius uſus.

A. *Olea* Tab. CCCLXXVIII. pacis, miſericordiæ, honoris, & fertilitatis ſymbolum, deſcripta alibi, Sichemitis promittere poſſet mite regimen, luxuriam, & voluptates, quibus ſub umbra ejus gauderent. Eſt ex Arborum genere flore monopetalo, plerunque quadripartito, cujus piſtillum abit in fructum ouatum, mollem, officulo nucleoque fœtum oblongo: & largâ quantitate dat Oleum multis uſibus inſignem. Olea ſatiua vero, quia eſt expreſſa in Tab. LXIII. ſiſto heic *Oleam ſylueſtrem folio molli incano* C. B. quæ *zizyphus eſt Cappadocia quibusdam*, *Olea Bohemica*. I. B.

B. *Ficus* CCCLXXVIII. dulcedine fructus turbinati, globoſi, vel ouati, mollis, antiquis poſt mel commendata: ſingulari prorſus charactere prædita Arbor, cujus quippe Flores in ipſa fructus cauitate naſcuntur, capillamentis

scilicet tenuibus ex inuolucro quodam prodeuntibus, quod semen complectitur utplurimùm subrotundum: *Tournef. Instit.* p. 662. Tab. 420. quem characterem videre licet ad marginem Tab. XXIX. Sed quoniam Ficus communis jam est repræsentata in Tab. XXVI. & XXIX. placuit nunc ex Ill. *Sloane Nat. Hist. of Jamaica* Vol. II. p. 140. Tab. 223. sistere *Ficum Indicam maximam, folio oblongo, funiculis è summis ramis demissis radices agentibus se propagantem, fructu minore sphærico sanguineo.* Cujus descriptio aliaque Synonyma ibidem videantur.

C. *Vitis* CCCLXXIX. Bacchi parens ex Arborum Fruticumue classe flore rosaceo, cujus pistillum abit in Baccam mollem, carnosam, succi plenam, quatuor plerunque seminibus seu gigartis fœtam, velut pyriformibus. *Tourn. instit.* p. 613. Tab. 384. De hujus producto, Musto, Scriptor Sacer, *exhilarari & Deos & Homines*, ut supra de Oleosa *pinguedine, magnifieri à Diis & Hominibus.* Non quòd Dii è potibus olei vinique haustibus sese mutuò reddant hilares, quæ Veterum fuit Gentilium de Nectare Fabula. Indigitatur totius usus vini in Libaminibus & Sacrificiis, de quo *Saubertus de Sacrificiis.* c. 18. 25. Homines si intueor, vini vires video tum inebriantes, tum *exhilarantes.* De illis actum alibi. Has Bacchi sodales comprobant loquacitate sua, cantu, saltu, gestibus & actionibus. Scilicet:

Vinum parat animos, facitque caloribus aptos.

Consistit lætitia in motu celeri, haud impedito sanguinis, forti ejusdem ex cordis Thalamis expulsione ad ultimas usque Arteriolas, citatiori proin Fluidi neruei influxu, actiuitate totius corporis majori, qua animantur omnia, in motus cientur frequentes Loquelæ organa, micant oculi, & mouentur inordinatis motibus, rubescit Facies, agiles redduntur Artus. Hi nempe sunt primi effectus Vini, vel potius Aeris sese & vasa extendentis effectus: primi inquam, hos enim limites si transgrediatur immodicè haustus pretiosus liquor, expanduntur nimiùm Cerebri & Meningum Arteriolæ, superatur elasticitas fibrarum, transit Hilaritas in Soporem temulentis familiarem, insensilitatis aliquando imo Apoplexiæ prænuntium. Aciei acutæ similis Bacchi liquor, qua multa effici possunt bona & utilia, sed & patrari mala: ut vino promoueri sanitas, sed quoque destrui. *Vinum humanæ vitæ accommodatum est, cum temperatè bibitur. Quænam vita est ejus, qui vino victus est? Vinum exhilarandis hominibus creatum est* (non inebriandis). *Lætitiam animi parit & hilaritatem vini potus justus & opportunus. Vinum copiosè potum creat acerbitatem animi, cum rixis & contumacia. Ebrietas exauget animum insipientis, donec offendat, vires eneruat, & parit vulnera.* Ecclesiastic. XXXI. 31. seqq. *(Æqua vita hominibus, vinum in sobrietate, si bibas illud moderate, eris sobrius. Quæ vita est, quæ minuitur vino. Vinum in jucunditatem creatum est, & non in ebrietatem ab initio. Exultatio animæ & corporis, vinum moderatè potatum. Sanitas est animæ & corpori sobrius potus. Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ, vinum multum potatum. Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera.)* Est Vinum moderatè sumtum remedium afflictis, & tristitia affectis. *Vinum exhilarat cor hominis.* Psal. CIV. 15. *Damnatis date Siceram, & vinum his, qui amaro sunt animo. Ut poti obliuiscantur inopiæ suæ, & calamitatis suæ non ultra recordentur. (Date Siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo: Bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.)* Prov. XXXI. 6. 7. De vini usu, sed & abusu, multa dici possent, quæ in alias reseruo occasiones.

Pergo ad אָטָד *atad*, Tyranni hieroglyphicum, qui spinarum suarum scindenti acumine, sæua Dominandi libidine, rigore, terrore, aliisue malis tum consiliis, tum artibus, subditos dilacerat, sed quoque conscientia scelerum seipsum pungit, & tandem, ut Abimelechus noster, miserè perit, omnibus terror, exosus omnibus: rarus senex, juxta illud *Thaletis.* τὶ δύσκολον εἴη τεθεάμενος; γέροντα, ἔφη, τύραννον. *quid difficile vidisset*, interrogatus? *Tyrannum, inquit, senem.* Sed quæritur, qualisnam sit vel Arbor, vel Frutex, *Atad?* ῥάμνον, *Rhamnum* habent LXX. & V. V. quam vocem habent & Glossæ nostræ marginales, in Textu verò *Dumum*, in vernacula *Dornbusch*, voce Fruticibus omnibus spinosis communi. Sed haud dubium, quin designetur hac voce *atad* Fruticis vel altè surgentis, vel Arboris species, sub cujus umbra possint homines considere. *Cynosbatos* placet *Hillero Hierophyt.* I. p. 477. eumque à Rhamno absterret hujus Fruticosa facies. Sed non attendit ipse, Cynosbaton iisdem laborare difficultatibus, siue intelligat *Rosam sylvestrem*, quam pro *Cynosbato Dioscoridis* habent *Lonicerus, Brunfelsius, Cordus, Lugdunenses*, siue *Oxyacantham* illam seu *Mespilum apii folio sylvestrem spinosam* C. B. quam pro *Cynosbato Theophrasti* agnoscunt *Tragus* & *Lonicerus. Baitharides* Arabs habet *bidanalhusagi. Lycii ligna.* Tutissimi ibimus, si maneamus in *Rhamno*, quæ & Arabibus *Hausegi*, Tripolitanis *Hauseit*, imò aliis Afris *Atadis*, ἀταδὶς. Seligimus nos *Paliurum Dod. pempt.* 756. quæ *Rhamnus* est *folio subrotundo, fructu compresso.* C. B. *Rhamnus* siue *Paliurus folio Jujubino.* I. B. & placet magis *Oenoplia spinosa* C. B. pin. 477. siue *Nabca Paliurus Athenæi, Alpin. Plant. Ægypt.* p. 16. Arbor Loti magnitudine instar Acaciæ spinosa folia ferens jujubæ proxima, veruntamen latiora, & flores Jujubæ floribus planè similes, albos

IUD. Cap. XIV. v. 5. 6.
Simson Λεοντοφονος.

Buch der Richter Cap. XIV. v. 5. 6.
Simson der Löwen-Zerreisser.

M. Tyroff sculps.

IUD. Cap. XIV. v. 8.
De comedente cibus.

D. der Richter Cap. XIV. v. 8.
Speise vom Fresser.

M. Tyroff sculps.

bos ac paruos, à quibus erumpunt pomula rotunda, odorata, dulcia, guſtuique valde ſuauia, ceraſorum majorum æmula. Fig. D. CCCLXXIX. Pondus huic ſententiæ addit, quòd *Serapio* hanc Arborem vocet *Sadar*, duasque ejus faciat ſpecies, *Affri* & *Adhal*, quæ voces noſtræ *atad* ſunt affines. Ad marginem videre licet *Paliuri* ipſius Characteres Fig. E. ead. Tab. Ipſam verò *Paliurum* Fig. F. Tab. citatæ.

Jud. Cap. XIII. verſ. 4. 14.

4. Caue ergo, ne vinum bibas, aut Siceram, & nihil quod immundum eſt comedas.
14. Quicquid de vite vinifera exit, ipſa non edet; vinum & ſiceram non bibet, nihil immundi comedet —

4. Caue ergo, ne bibas vinum ac ſiceram, nec immundum quicquam comedas.
14. Et quicquid ex vinea naſcitur, non comedat: vinum & ſiceram non bibat, nullo veſcatur immundo: —

Vid. Num. VI. 4.

TAB. CCCLXXX. CCCLXXXI.

Jud. Cap. XIV. verſ. 5. 6. 8.

5. Deſcendit itaque Samſon cum Patre ſuo & matre ſua in Thimnath: cumque veniſſent ad vineta Thimnath, en Catulus Leonis adultior rugiebat occurrens ei.
6. Et Spiritus DOMINI proſperè egit in eo, ut diſcerperet eum, uti ſolet diſcerpi Hœdus, nec quidquam habebat in manu ſua —
8. Reuerſus autem poſt aliquot dies, ut illam acciperet, declinauit ut videret cadauer Leonis, & ecce examen Apum erat in corpore Leonis & Mel.

5. Deſcendit itaque Samſon cum patre ſuo & matre in Thamnatha: cumque veniſſent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis ſæuus, & rugiens, & occurrit ei.
6. Irruit autem Spiritus DOMINI in Samſon, & dilacerauit Leonem, quaſi hœdum in fruſta diſcerperet, nihil omnino habens in manu: —
8. Et poſt aliquot dies reuertens, ut acciperet eam, declinauit, ut videret cadauer leonis: & ecce examen apum in ore Leonis erat, ac fauus mellis.

OCcurrunt in *Simſonis* Hiſtoria paſſim, quæ ἐμπαίκται, Athei & Deiſtæ arripiunt ad infringendam Sacri Codicis αὐθεντίαν, & ad conuertendum omnia Herois hujus geſta, Diuino comprobata teſtimonio in meras Fabulas. Qui hujusmodi Sacræ Scripturæ contemptores vel refutare vult, vel in gyrum Rationis cogere, is neceſſe habet ingredi Scholam Naturæ, viſurus heic, quid valeant hæ vires, quid ferre recuſent.

Perrarum eſt in hodierna Palæſtina Animal *Leo*, frequentius olim in Judæa, Syria, Arabia. Teſtimonia ſuppeditat Hiſtoria Sacra & profana. Cant. IV. 8. ita Sponſam adloquitur Sponſus. *Mecum à Libano ſponſa, mecum à Libano venias (&) ſpectes è vertice Amana, è vertice Senir & Hermon, è luſtris Leonum, è montibus Pardorum. (Veni de Libano, ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus pardorum.* Interminantem audi Jeremiam V. 6. *Percutiet eos Leo de Sylua, lupus ſolitudinum vaſtabit eos, Pardus incumbens ſuper ciuitates eorum, omnem iſthinc exeuntem diſcerpet. (Idcirco percuſſit eos leo de ſylua, lupus*

ad veſperam vaſtauit eos, pardus vigilans ſuper ciuitates eorum: omnis qui egreſſus fuerit ex eis, capietur.) Miſiſſe DOMINUM *Leones* in Samaritanos, *qui eos occidebant*, legimus 2. Reg. XVII. 25. De Propheticida Leone. 1. Reg. XIII. 24. XX. 36. Sed quoque Heroes offendimus Leonicidas: *Simſonem* in Textu: *Dauidem* 1. Sam. XVII. 24. *Benajam* 2. Sam. XXIII. 20. De Leonibus Palæſtinæ habemus quoque profana teſtimonia *Job. Phocæ*, qui ante quinque & quod excurrit Secula *de Judæa* ſcripſit, c. 23. ad Arundineta Jordanis habitare Leonum cateruas, μέγατι καλάμων χρῆμα ἐκφύεσθαι, ἐν ὅις λεόντων φύλα εἰώθασι κατοικεῖν. Idem teſtatur *Hieronymus in Zach.* XI. In Phœnicia Berytum inter & Sidonem erat λεόντων πόλις ad Flumen ejusdem nominis, cujus & meminere *Strabo*, *Plinius*, *Ptolomeus*. Leonum *Syriæ* meminit *Ariſtot. Hiſt.* L. VI. c. 31. *Plinius* L. VIII. c. 16. *Curtius* L. VIII. ubi Lyſimachus Leonem magnum in venatione occidiſſe legitur. De Leonibus *Meſopotamiæ Ammianus* L. VIII. *Arabiæ Agatharchides* L. V. c. 33. *Diodorus* L. II. & III. *Strabo* L. XVI. *Oppianus Cyneget.* L. III.

Nunc quidem in Theatro comparet λεοντοφόνος *Simſon*. Huic *ad vineta Thimnath occurrebat catulus Leonis adultior*. In Textu legitur כְּפִיר הָרָיוֹת *Cephir harajoth*, catulus Leænarum. Notandum ὡς ἐν παρόδῳ, plurima eſſe orientalibus populis ejusdem Animalis nomina, pro ratione ſexus, ætatis, magnitudinis, colorum, aliorum Accidentium. Imo Leoni ſupra 100. Turcica, Arabica, Perſica in Lexico Meninzkiano. כְּפִיר in Textu, λεόντισκος, λεοντίδης, λεοντίδιον, *catulus* eſt *Leonis*, adultior tamen quàm גּוּר אַרְיֵה *gur arjeh*. Clarum id ex *Ezech.* XIX. 2. 3. *Cur mater tua Leæna inter Leones accubuit & in medio Leonum educauit catulos ſuos? Effecit, ut unus ex catulis ſuis* מְגַרְיֵה *aſcenderet, Leunculusque* כְּפִיר *fieret, qui didicit diripere prædam, comedere Homines.* Conſtat inde, Leunculum ablactatum, qui ipſe diſcit diripere prædam, ex *Gur* fieri *Cephir*. Hujusmodi Leonem deſcribit *Horatius* L. IV. *Od.* 4.

> Qualemue lætis caprea paſcuis
> Intenta, fuluæ matris ab ubere
> Jam lacte depulſum Leonem
> Dente nouo peritura vidit.

Sed & ipſe noſter כְּפִיר v. 8. nuncupatur אַרְיֵה *arjeh*, quæ vox etiam in genere omnem Leonem notat, absque reſpectu ad ætatem. Clarum id ex præſenti Hiſtoria, erratque *Kimchi*, qui *arjeh* adultiorem ætate vult, quàm eſt *cephir*. vid. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 1.

Adortus eſt *Cephir* noſter, vel adoriri tentabat *Simſonem*, tanquam ex prædis primitias: rugitu canebat claſſicum. Sed fuit ipſe hic Leo junior Thema Simſonis docimaſticum, virium nempe, quarum potis erat. Inſtructus ille erat omni ſuâ armatura, vi prehendente & mordente, Simſon inermis, *nîl quidquam habebat in manu ſua.* Sed *Spiritus DOMINI proſperè egit in eo*, qui Inſpiratione diuina afflatus, vi inuicta armatus, *diſcerpſit Leonem, uti ſolet diſcerpi Hœdus.* Græcus Codex Complutenſis habet διέσπασεν, *dilacerauit*, alii συνέτριψεν, *contriuit*. Si *Joſepho* fides *Ant.* L. V. c. 10. ſtrangulatus à Simſone Leo. Συντυγχάνει λέοντι καὶ γυμνὸς ὢν ἐκδέξαμενος αὐτὸν ἄγχει ταῖς χερσὶ. Ita & *Ambroſius Epiſt. 13. ad Vigilium. Irruentem in ſe brachiis amplexus necat, & lacertorum modo exanimatum.* Planè ut *Hercules* Leonem interfeciſſe legitur. *Lycus* apud *Euripidem* in *Hercule furente* v. 153.

> Ἢ τὸν Νέμειον Θῆρ', ὃν ἐν βρόχοις ἑλὼν
> Βραχίονος φῆσ' ἀγχόναισιν ἐξελεῖν.

> Aut Nemæum Leonem, quem retibus captum
> Brachiorum laqueis ſe interemiſſe dicit.

Claudianus in *laudibus Herculis.*

> - - - inuadis trepidum, ſolisque lacertis
> Grandia corripiens eluſo guttura morſu,
> Imbellem fractis proſternis faucibus hoſtem.

Præterea alia de Hercule teſtimonia, quæ legere licet apud *Sophoclem in Trachiniis* v. 1096. *Ciceronem L. II. Tuſcul. Quæſt. Ouidium* L. IX. *Metam. Senecam* in *Hercule Oetæo*, *Agamemnone*, *Hercule furente*; *Nonnum Dionyſ.* L. XXV. *Apollodorum* L. II. *Diodorum* L. IV. *Tzetzen chil.* 2. *Hiſt.* 101.

Moderni Mathematici, præeunte inſigni *Borello*, ut infiniti artificii machinas corporum humanorum & Brutorum examinant ad Legum Mechanicarum normam, ita & ad calculos reducunt omnes Muſculorum vires, heic in ſpecie eorum, qui Mentum mouent & Maxillam inferiorem, inueniuntque, comparatione facta cum Forcipe, Mentum Hominis ſubleuando 200. Librarum pondus vires adhibere 160. Centenariis majores, quod tanti momenti opus effectui dant veſiculæ, ſi velis, infinitè paruæ, vel fluidum nerueum omnes Senſus eludens. Leonibus autem quia Maxilla eſt productior, & Dentes anteriores diſtantiam habent ab Hypomochlio quinquies majorem diſtantiâ ipſorum Muſculorum, erit horum vis decies major reſiſtentiâ, & ea vis, quâ Leo Bouem 400. Librarum prehenſum tenet major 1080. Centenariis, quam ipſam nunc Simſon ope Muſculorum Brachii ſui ſuperauit, *Leonem diſcerpens, ut ſolet diſcerpi hœdus*, non ſanè propriis, quas à Natura non habuit, viribus, ſed diuinâ potentia prorſus adjutus; ut proin dilaceratio hæc Miraculis accenſeri debeat.

Notatu inprimis ſunt digna, quæ v. 8. extant de *Examine Apum in corpore*, ſeu *cadauere*,

re, Leonis & melle. Inueniunt heîc Scholaſtici Generationi ſuæ æquiuocæ Propugnaculum. Nam, en Examen Apum ex cadauere Leonis prognatum! ut paſſim apud profanos Scriptores *Apes* generatas ex *Bobus*, *Fucos* ex *Equis*, *Crabrones* ex *Mulis*, *Scarabæos* & *Veſpas* ex *Aſinis*. Tantò autem magis attendi meretur hæc Hiſtoria, quia ex Zoographorum relatione Apibus non benè conuenit cum carne, & minus adhuc cum mephiti cadaueroſa. *Ariſt.* L. IX. c. 40. πρὸς σάρκα δὲ ἀδηνὸς καθίζει, ἀδὲ ὀψοφαγεῖ. *Varro Ruſtic.* L. III. c. 16. *Nulla harum aſſidet loco inquinato, aut eo, qui malè oleat — Non ut Muſcæ liguriunt, quod nemo has videt* (ut illas) *in carne, aut ſanguine, aut Adipe.* Et *Plinius* L. XI. c. 21. de Veſpis & Crabronibus. *Omnes carne veſcuntur: contra quàm Apes, quæ nullum corpus attingunt. Phile* de *Ape.*

Καὶ ζῆ μὲν ἁγνὸν ἡ σοφὴ ᾠδὸν βίον,
Ἄγευστος ἔσα νεκρικῶν σπαραγμάτων.

Et vitam quidem caſtam ſapiens exigit,
Nec diſcerptas cadauerum carnes deguſtat.

Et adeò quidem cadauera auerſantur Apes, ut ne propria fratrum ſufferre queant, ſed ſi quam earum in Alueari mortuam deprehendunt, funus exportent, ne cadaueroſo odore tota turbetur Oeconomia.

- - tum corpora luce carentum
Exportant tectis, & triſtia funera ducunt.

Plinius L. XI. c. 18. *Defunctas progerunt, funerantiumque more comitantur exequias.* Id quod atteſtantur modernorum quoque de Apibus obſeruationes. Sed quis hæc conciliabit cum Hiſtoria Simſonis? cum *Examine Apum*, quod *poſt aliquot dies* reperit in *cadauere Leonis?* Heic *Bochartus* P. II. L. IV. c. 10. *Hieroz.* poſtquam *Moufeti* diſcrimen inter Apes λεοντογενεῖς & ταυρογενεῖς diluit, benè, *Apes in Leonis corpore fuiſſe repertas, non tamen ibi natas.* Placet & hoc, per *Cadauer* non intelligi debere corpus putredine ſanioſâ diffluens, ſed σκελετὸν σῶμα, ſceletum oſſeum. Cui quidem obſtat, quod Simſoni id, de quo nunc, contigerit poſt aliquot dies, quibus non poterat caro omnis putreſcere, & ſola relinqui oſſa. Sed & hoc ſe liberat ſcrupulo vir magnus: *poſt aliquot dies* idem ipſi ſonat quod, *poſt annum.* Sumuntur nempe paſſim in Sacris *dies* pro *annis* Gen. IV. 3. *Exactis aliquot diebus*, id eſt, ſub Anni finem, *factum eſt, ut adferret Cain de fructu telluris munus* DOMINO. Gen. XXIV. 55. Rebeccæ frater materque ad Abrahami ſeruum: *Maneat puella nobiscum aliquot diebus, dies autem decem*, id eſt, per Annum, vel menſes decem. 1. Sam. I. 3. *Aſcendit Elkana quotannis* (מִיָּמִים יָמִימָה à diebus in dies) *de ciuitate ſua, ut adoraret, & ſacrificaret* DOMINO. Alia loca prætereo. Hæc interpretatio ſi juſta, cadauer ſi jacuit per Anni decurſum, facilè poterat Examen Apum in Sceleto ſpeciatim in cauo Thoracis veluti in Alueari ſedem figere, & mel colligere, quod deguſtauit Simſon, ut Apes mellificia ſua pararunt in *Oneſili* capite, quod Portæ urbis impoſuere *Amathuſii*, teſte *Herodoto* L. V. c. 114. in *Hippocratis* diui ſepulchro, apud *Soranum:* Veronæ in S. Crucis Templo, in tumulo binarum celebris Jurisconſulti *Bartholomæi Vitalis* ſororum, quarum una deceſſerat A. 1558. altera A. 1562. teſte *Aldrouando Inſect.* L. I. p. 110. *Clericum* ſi audimus, it *Bochartus* per ambages. Non is permiſiſſe vult amorem, quo Sponſam ſuam deperibat Simſon, ut exacto demum anno ruerit in amplexus amaſiæ. Manet celebris hic commentator in paucis diebus, quibus Cadauer nudari poſſit carnibus, & hæ à rapacibus Auibus aliorſum portari, relictis oſſibus, atque in ratiocinii ſubſidium aduocat Climatis intenſum calorem. Hæc omnia licet conceſſero Clerico, nondum tamen video, quò venire queat, aut confugere, cum Alueari mellifluo. Examinis is duntaxat meminit, non mellis. Non ſtatim & paucis diebus extruitur tanti artificii ſtructura, qualis eſt in cellulis Apum, neque hæ implentur adeò breui tempore. Menſium ſaltem requiritur mora, ut pro Architectura, ita pro penuarii impletione, quæ quidem mihi placeret, *Annum* inter *Bocharti* & *Clerici dies* media.

Illuſtrant Simſonis Hiſtoriam, quæ de Hercule λεοντοφόνῳ legimus in Veterum Monumentis; compareant itaque in Tab. CCCLXXX.

A. Gordiani III. Numus inter maximi Moduli Numismata, quæ extant in Cimeliarchio Galliæ Regis Tab. 26. à Germenſibus ſub Ælio Ariſtonico percuſſus, in cujus auerſa Hercules eſt Leonem Nemæum ſuffocans.

B. Maximiani Herculei.

C. Hercules Leonem diſcerpens in Carneolo Gemma. Leon. Agoſtin. Gemm. Antich. Tab. III.

TAB. CCCLXXXII.

Jud. Cap. XIV. verſ. 18.

Septimo ergo die, antequam Sol occideret, ciues Urbis dixerunt ad illum: Quid dulcius Melle? quid Leone fortius? Qui ait ad eos: Niſi vitulâ meâ araſſetis, non inueniſſetis Ænigma meum.

Et illi dixerunt ei die ſeptimo, ante ſolis occubitum: Quid dulcius melle, & quid fortius leone? Qui ait ad eos: Si non araſſetis in vitula mea, non inueniſſetis propoſitionem meam.

EST hæc extorta à Philiſtæis Ænigmatis Simſoniani ſolutio, quod extat v. 14. *De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* E diametro ſtant veluti contradictoria *cibus* & *comedens*, *fortitudo* atque *dulcedo:* naturam autem rerum ſi ſpectes, opponitur *dulcedo amaritiei*, vel *Acrimoniæ*, *Debilitas Fortitudini.* Eſt quoque profanis Scriptoribus acre ſiue amaro-acre idem quod forte. *Virgil. Æn.* L. VIII.

Aut acrem dubites in prælia poſcere Turnum?

Ubi *Seruius acrem* explicat per *fortem: Propriè apud nos acer eſt, qui* δριμὺς *apud Græcos. Ouid. L. IV. Faſtor.*

- - - - genus acre Leonum.

Ducit nos Philiſtæorum Reſponſum: *Quid dulcius Melle?* ad Saporum conſiderationem Phyſicam. Conſiſtunt omnes hi in certa partium figura, qua has illasue impreſſiones faciunt in organum Linguæ: ita *acris* confertur aciculis ſubtilibus, organum Guſtus pungentibus, & pungendo ſubintrantibus, proin in papillis nerueis dolorem quendam cauſantibus: *inſipida* è contra Aqua globulis ſeu rotundis ſeu oualibus, per ſuperficiem Linguæ ſeſe prouoluentibus absque impreſſione. Sed *Dulcedo* ſapor eſt veluti compoſitus ex inſipido & acri, conſtans partibus globoſis, & interſperſis nonnullis acutis, quæ grato quodam modo Linguam vellicant. Eſt autem *Mel* præ aliis & κατ' ἐξοχὴν dulce, ἀρχὴ τῶν γλυκυσμάτων. Hinc eſt, quòd Sacri & profani Scriptores Melli comparent quicquid vel gratum habet ſaporem, vel ſenſibus & Animæ oblectamento eſt. Exod. XVI. 31. *Mannæ* ſapor confertur Melli. Erat *volumen* illud, quod *comedebat* juſſu DOMINI Propheta, *in ore perinde ac Mel dulce.* Ezech. III. 3. Ita & βιβλαρίδιον, quod deglutiebat Johannes Apoc. X. 9. 10. *Judicia DOMINI dulciora melle & fauo ſtillantibus. (Judicia DOMINI dulciora ſuper mel & fauum.)* Pſal. XIX. 11. *Quàm dulce eſt palato meo eloquium tuum? certè ori meo dulcius melle eſt. (Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo)* CXIX. 103. *Mel comedes, fili mi! quoniam bonum eſt, & fauum dulce palato tuo. Sic erit cognitio Sapientiæ animæ tuæ.* Prov. XXIV. 13. 14. *Accedite ad me omnes*, ita Diuina Sapientia Eccleſiaſtic. XXIV. 21. *cupidi mei, & facite, ut fructibus meis impleamini. Nam memoria mei melle dulcior eſt, poſſeſſioque mea fauo mellito jucundior. (Transite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum)* ὑπὲρ μέλιτος κηρῷ. Quam expreſſionem fortè mutuò petiit ex *Theocriti Idyll.* 20. ubi

- - - ἐκ στομάτων δὲ
Ἔῤῥεε μοὶ φωνὰ γλυκερωτέρα, ἢ μελικήρῳ.

- - - Ex ore autem
Fluebat mihi vox dulcior fauo.

Si verum, Authorem Libri paucis poſt Theocritum annis vixiſſe, & utrumque in Ægypto floruiſſe. Cant. IV. 11. ita Sponſus cœleſtis ad Eccleſiam: *Fauum ſtillant Labia tua, o Sponſa! & Mel & Lac ineſt Linguæ tuæ.* Ita *Homerus* de *Neſtore Iliad. α.* v. 249.

Τῷ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίον ῥέεν αὐδή.

E cujus lingua melle dulcior fluebat ſermo.

Prætereo alias hujus generis loquendi formulas, quas ex *Theocrito*, *Moſcho*, *Pindaro*, *Sophocle*, *Xenophonte*, aliis citatas legas apud *Bochartum.*

Quid Leone fortius? anquirunt Philiſtæi. Conciliauit Fortitudo Leoni jus pædominii & veluti Regium in alias Creaturas. Prov. XXX. 30. *Leo heros eſt inter belluas, nec à cujusquam conſpectu fugit. (Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius*

IUD. Cap. XIV. v. 18.
Simſon Ænigmatiſtes.

Buch der Richt. Cap. XIV. v. 18.
Simſons Hochzeit-Räthſel.

I. G. Pintz sculps.

IUD. Cap. XV. v. 4. 5.
Simsonis Vulpes.

V. der Richter Cap. XV. v. 4. 5.
Simsons Füchse.

M. Tyroff sculps.

lius pauebit occurſum.) 2. Sam. XVII. 10. *Molleſcebant ac liquefiebant & hi, qui fortes alioqui ſunt, & qui pectora habent leonina. (Et fortiſſimus quisque, cujus cor eſt quaſi Leonis, pauore ſoluetur:)* Sunt omnes Leonis Muſculi fortes, ſed robuſti inprimis Cordis. Hinc *Herculis* & *Achillis* epitheton θυμόλεων *Homer. Iliad.* ε. 639. η. 288. Nos Germani: *Er hat Hertz wie ein Löw. Lucret.* L. V.

Principio genus acre Leonum, ſæuaque ſecla
Tutata eſt Virtus, Vulpes dolus, & fuga ceruos.

Niſi vitula mea araſſetis, non inueniſſetis Ænigma meum, Prouerbialis eſt Simſonis locutio, quam non eodem ſenſu accipiunt omnes. R. *Leui* literalem ſeligit, amaſiamque Adulterii ream facit. Ita legimus apud *Theognidem* v. 579.

Ἐχθαίρω δὲ γυναῖκα περίδρομον, ἄνδρατε μάργον
Ὅς τὴν ἀλλοτρίην βέλτ' ἄρεραν ἀρῆν.

Vagam odi mulierem, & virum procacem
Qui alienum vult aruum arare.

Plautus de Adultero.

Fundum alienum arat, ſuum incultum deſerit.

Virgil. L. III. *Georg.*

- - nimio ne luxu obtuſior uſus
Sit genitali aruo, ſulcosque oblimet inertes.

Fauet explicationi huic Complutenſis editio τῶν LXX. εἰ μὴ κατεδαμάσατε τὴν δαμαλίν μου. Legitur aliàs in vulgari: Ἐι μὴ ἠροτριάσατε ἐν τῇ δαμαλει μου. Sed tamen nondum ex his conſtat, Simſonem fuiſſe cornigerum. De odioſis & dubiis judicandum fauorabiliter, & ita, quòd Philiſtæi aſtu Ænigmatis ſenſum expiſcati fuerint à Simſonis amaſia. *Arare* & in Latina Lingua notat *rimari. Virgil. L. III. Georg.*

Ergo ægrè raſtris Terram rimantur.

Rimantur, id eſt, *in rimas agunt*, inquit *Seruius*. Et notum Prouerbium illud, *alienâ arare vitulâ*, ſumi quoque de Plagiariis.

TAB. CCCLXXXIII.

Jud. Cap. XV. verſ. 4. 5.

4. Abiit ergo Simſon, & cepit trecentas vulpes, acceptisque facibus, & conjunctis earum caudis, poſuit facem unam inter duas caudas.

5. Accenſisque facibus Igni, miſit (vulpes) in ſtantes ſegetes Palæſtinorum, & incendit non aceruos modò, ſed & ſtantem ſegetem, & vineas & oleas.

4. Perrexitque, & cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, & faces ligauit in medio.

5. Quas igne ſuccendens, dimiſit, ut huc illucque diſcurrerent. Quæ ſtatim perrexerunt in ſegetes Philiſthinorum. Quibus ſuccenſis, & comportatæ jam fruges, & adhuc ſtantes in ſtipula, concrematæ ſunt, in tantum, ut vineas quoque, & oliueta, flamma conſumeret.

Diuerſa vocum explicatio quia Scripturam in varium flectit, ſæpeque torquet ſenſum, præmittenda eſt breuis illarum expoſitio. שׁוּעָלִים *ſchualim* ex omnium & optimorum Interpretum conſenſu ſunt *vulpes*, non *manipuli Straminis* vel *Auenæ*, quod neruosè contra obſeruatorem quendam Hallenſem demonſtrat *Godofredus Martini* in *Miſcell. Lipſ.* T. IV. p. 237. Horum incendiariorum *cepit* Simſon *trecentos*, & præterea לַפִּידִם *Tædas*, *titiones*, vel *tædas ardentes*, à qua voce forſan deriuanda Græcorum λαμπὰς, λαμπάδος. *Acceptis* autem *facibus, & conjunctis earum caudis* וְנָתַב אֵל *poſuit facem unam inter duas caudas.* Caudam nempe alligauit caudæ medio func. Ita LXX. in Editione

ne Complutenſi, ᾗ συνέδησεν κέρκον πρὸς κέρκον. Medio verò funi alligauit facem ſeu tædam, qua accenſa vulpes ſibi & motui vago reliquit, *mittens* eas *in ſtantes ſegetes*, magno harum, imo & *vinearum* & *olearum* damno. Erat enim tunc *triticea meſſis* v. 1. & Philiſtæi in meſſe ipſa occupati, quandoquidem mentio fit *ſtantis ſegetis*, קָמוֹת *Kamoth* & *aceruorum* גָּדִישׁ *gadiſch*, quæ vox propriè notat aceruum, metam frugum in congeriem collectarum. LXX. habent ἅλωνα, *aream*, in Editione Complutenſi ϛοιβὸν. Nec vagatæ duntaxat ſunt Vulpes per Agros, ſed irruperunt quoque in Vineas. Habitabat enim Delila *juxta Torrentem Sorek*, Jud. XVI. 4. loco vitibus præſtantiſſimis celebri, quod vel ex Hiſtoria uuæ ab exploratoribus reſciſſæ Moſique aſportatæ conſtat: Vallis quippe *Eſcol*, locus uuæ illius natalis, non ultra ſemimilliare diſtabat à *Sorek*.

Eſt hæc, quam explicandam ſuſcipio, Simſonis Hiſtoria una ex iis, quæ ἐμπαίκτοις Lucianiſtis anſam dat narrationes ſacras falſè deridendi, & αὐθεντίαν Sacri Codicis ſubruendi. Præcipua difficultas in eo conſiſtit, undenam Heros ceperit trecentas vulpes. Anni certè ante excurrerent, non Menſes nec Dies, quàm quis in noſtris Regionibus ter centenas vulpes conquirere poſſet. Pro ſolutione dubii hujus obſeruandum, abundaſſe vulpibus Regionem illam, in qua hæc Hiſtoria contigit. Cant. II. 16. *Capite nobis vulpes, vulpes paruas, quæ vaſtant vineas, quum noſtræ vineæ floreant.* Imo ſunt Palæſtinæ loca, quæ a vulpibus nomen obtinuerunt. 1. Sam. XIII. 17. אֶרֶץ שׁוּעָל *erets ſchual*, Terra Vulpis. Joſ. XV. 28. חֲצַר שׁוּעָל *chatzar ſchual*, caſtrum vulpis, urbs in Tribu Juda: alia ejusdem nominis in Tribu Simeonis. Joſ. XIX. 3. in Tribu Dan שַׁעַלַבִּין *ſchaalabbin*. Joſ. XIX. 42. Sed quoque Vulpibus aſſociare poterat Simſon Animal *Thos*, *Thoes* dictum, quod canini vel Lupini eſt generis, Vulpi haud abſimile, in Palæſtina, ſpeciatim circa *Cæſaream*, adeò frequens, ut *Bellonio* teſte Singular. L. II. c. 18. ſæpe 200. in una ſocietate conſpiciantur. Et in Scriptura haud legas, cepiſſe Simſonem 300. Vulpes uno vel paucis diebus. Quidſi capturæ huic impendiſſet ſeptimanam, vel Menſis magnam partem: ut *Athenienſibus* Menſis fuit ἐλαφηβολιὼν dictus, quo toti occupati erant capturâ Ceruorum, qui immolari debebant Dianæ ἐλαφηβόλῳ. Neque neceſſe fuit, ut unus Simſon tot feras caperet; partem forſan ceperunt ſerui, amici, coloni, canes: imo fortè ad mandata Herois & Principis ſui, parati erant vicini omnes ex Judaica Gente, tunc temporis ſub Philiſtæorum jugo gemente. *Quod quis per alium facit, id cenſetur ipſe facere*, ajunt JCti. Interim haud diffitemur, eſſe capturam Vulpium unam ex difficillimis, labore plenam. *Oppiano* teſte L. IV. *Venaticor.* eludunt Retia. Unde *Suidas*.

Γέρων ἀλώπηξ ἐχ ἁλίσκεται πάγῃ.

Docet nihilominus Experientia & hunc capiendi modum. *Martialis* L. X. *Epigr.* 37.

Hic olidam clamoſus ages in retia Vulpem.

Calentius.

Et laqueo Vulpes, & decipe caſſe foinas.

Capiuntur & decipulis, & machinis aliis, quæ Venatoribus, quàm mihi, ſunt notiores.

Sic poterat Simſon unâ fideliâ duos dealbare parietes, & hoſtibus damnum inferre, & Patriam ſimul liberare à trecentis noxiis feris. Ita reſponderi poteſt ad objectionem, cur Vulpes potius elegerit Heros, quum fini obtinendo ſufficere poſſent Lepores, vel Canes? Hunc nodum ita ſoluit R. *Kimchi*, retrogredi ſolere Vulpes, ſic inuicem approximare, & facem in medio ſuſtinere, ac veluti portare, ne in Terram decidat. Sed lepide! Debuerat neceſſario fax medias inter Vulpes binas & firmiter quidem alligari, ut vel non neceſſaria fuerit retroceſſio, vel impoſſibilis ſine alligatione ſuſtentatio. Potior eſt *Iſidori* obſeruatio *Orig.* L. XII. c. 2. electas fuiſſe vulpes, quòd non rectâ incedant viâ, ſed per obliquas & tortuoſas, unde apud *Nonium vulpinari* eſt, variis dolis, mendaciis, fraudibus ſupprimere veritatem. Ita concipere licet, plus damni inferre potuiſſe Vulpes, quàm alia quæuis Animalia.

Silentio præteriri haud debent Romanorum *Vulpinalia*, annuum Romanorum Feſtum, Hiſtoriæ, quam impræſentiarum explanamus, ſatis conforme. Medio Aprili plures illi Vulpes in Circo cum tædis ardentibus dorſo alligatis decurrere permittebant. *Ouid.* L. IV. *Faſtor.*

Cur igitur miſſæ junctis ardentia tædis
Terga ferant vulpes, cauſa docenda mihi eſt.

Ceremoniam hanc deriuat ipſe à Vulpe quadam Carſeolana, quæ poſt illatum ingens agris damnum à colono capta ſtramine fuerit inuoluta, ſed hoc accenſo effugiens paſſim accenderit ſata.

Is capit extremi Vulpem conualle ſalicti,
Abſtulerat multas illa cohortis aues.
Captiuam ſtipula fœnoque inuoluit, & ignes
Admouet, urentes effugit illa manus.
Quò fugit, incendit veſtitos meſſibus agros,
Damnoſis vires ignibus aura dabat.
Factum abiit; monumenta manent: nam dicere certam
Nunc quoque Lex Vulpem Carſeolana vetat.
Utque luat pœnas genus hoc Cerealibus ardet,
Quoque modo ſegetes perdidit, ipſa perit.

Deri-

IUD. Cap. XV. v. 15. 19.
Victoria post sitim restinctam.

Buch der Richt. Cap. XV. v. 15. 19.
Simsons Wunder-Trunk und Sieg.

G. D. Heüman sculp.

Deriuat *Bochartus Hieroz.* P. I. L. III. c. 13. hanc Vulpinalium ceremoniam non à Carſeolana Vulpe, ſed ab ipſa Simſonis Hiſtoria, quòd Vulpes illæ Romanorum non, ut Carſeolana illa, ſtramine fuerit obuoluta, ſed tædis junctis ardentia terga tulerint: Neque Feſtum illud incidat in Romanorum, ſed ipſius Palæſtinæ meſſem: incipit enim hæc menſe Abib, qui reſpondet Martio, quo medio *inferre debebant Gomer de primitiuis fructibus Meſſis*, Leuit. XXIII. 10. quæ finita fuit 50. diebus poſt, Feſto nempe Pentecoſtes: quod hinc Exod. XXIII. 16. vocatur *Feſtum* Meſſis, *collectionis*, Meſſis nempe finitæ, ut hæc proin inciderit in interuallum Paſcha inter & Pentecoſtem medium. Duplex autem fuit Meſſis, Hordei una, altera Tritici. *Plinius* L. XVIII. c. 7. *In Ægypto Hordeum ſexto à ſatu menſe, frumenta ſeptimo metuntur.* Et *Clemens Alexandr.* L. VI. *Strom.* Πεντεκαιδεκάτῃ εἰς ὥραν βέλτιον τὸ πυρὸν μᾶλλον ἢ κριθήν. Ita 2. Sam. XXI. 9. mentio fit *dierum Meſſis, ab initio quum primùm meterentur Hordea.* Ab Ægypti illa Grandine *Linum & Hordeum percuſſa ſunt, Hordeum enim maturuerat, & Linum in calamos iuerat: Triticum verò & Far non percuſſa ſunt, eo quod adhuc latuerant. (Linum ergo & Hordeum læſum eſt, eò quod hordeum eſſet virens, & linum jam folliculos germinarat: Triticum autem, & far non ſunt læſa, quia ſerotina erant.)* Exod. IX. 31. 32. Pronum eſt hinc inferre, Hordeaceam Meſſem incidere in Martium, Triticeam in Aprilem. Et vero videtur ſimile ſummo Viro, incidere diem Feſtalem Romæ celebratum in ipſum Incendii Philiſtæi diem, cujus memoria celebrata fuerit primùm à Phœniciis, poſtea à Romanis. Imò abhinc deriuat *Bochartus* ipſam *Bœotiorum* ſuperſtitionem, quâ Phœniciorum hi ſubditi vel tributarii permiſſum credebant omne rerum obuiarum incendium, facibus dorſo Animalium, ut Vulpium, Teſtudinum, geſtis illatum, quod videre eſt in *Suida* voce Νεωρία, & *Ariſtophane in Acharnenſ.*

Qui plura de hac materia vel legere deſiderat, vel ſcire, ei commendantur

Godofredi Martini Leubenenſium Paſtoris in Locum Jud. XV. 4. de Vulpibus Simſonis in manipulos Straminis transmutatis, formæ auitæ nunc iterum reſtitutis in *Miſcell. Lipſ.* IV. p. 237.

Joh. Frid. Mayeri Diſſ. de Vulpeculis Simſonis. Vitemberg. 1686.

Anonymi *Renards de Simſon.*

Joh. Wilh. Hilliger Diſſ. de Vulpibus Simſonis.

TAB. CCCLXXXIV.

Jud. Cap. XV. verſ. 15. 19.

15. Et inueniens Maxillam Aſini putreſcentem, miſſaque manu ſuſtulit illam, & percuſſit cum ea mille viros.

19. Tum diſſecuit DOMINUS molarem, qui erat in Lehi, ut profluerent ex eo Aquæ, quas dum biberet refocillatus eſt, & reuixit. Et hinc vocatum eſt nomen ejus Fons inuocantis, qui in Lehi eſt usque in hunc diem.

15. Inuentamque Maxillam, id eſt, mandibulam Aſini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.

19. Aperuit itaque DOMINUS molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo Aquæ, quibus hauſtis refocillauit ſpiritum, & vires recepit. Idcirco appellatum eſt nomen loci illius, Fons inuocantis de maxilla, usque in præſentem diem.

QUi magni Herois Simſonis geſta vel obiter & per tranſennam adſpicit, mira ubique videt, imò miracula: in natiuitate, vitâ, morte: miraculoſas vires, miraculoſam ex Aſini maxilla refectionem, de qua nunc. *Ligatus cum duobus nouis funibus* adduci debebat veluti in Triumpho Philiſtæis. Sed *Spiritus* DOMINI *proſpere egit in ipſo, factique ſunt funes, qui erant in brachiis ejus, ut Lina Igne combuſta, & diffluxerunt vincula ejus è manibus ſuis.* v. 14. *(Spiritus DOMINI irruit in eum: & ſicut ſolent ad odorem ignis ligna conſumi, ita vincula quibus ligatus erat, diſſipata ſunt & ſoluta.)* Solutus vinculis *inuenit Maxillam Aſini putreſcentem*, Aſini haud ita pridem mortui, maxillam Ichore putrido madeſcentem, reſiccato dudum minus fragilem; Notum quippe, eſſe oſſa, ex tubulis conſtantia, tenaciora magis, quò ſunt recentiora, fragiliora, quò ſicciora. Hac

veluti Hercules Clauâ, proſtrauit ille mille Philiſtæos. Rarum hoc armorum genus Simſoni dedit Caſus, vel potius DEI ſapientiſſima Prouidentia. Quod *Dauidi* funda fuit Enſi & Haſtæ Goliathi oppoſita, id heic fuit Aſini Maxilla contra Philiſtæorum & vires & arma. Impleri debebat in perſona Herois noſtri Promiſſio illa Joſ. XXIII. 10. *Vir unus ex vobis perſequetur mille, quoniam DOMINUS DEUS veſter ipſe pugnabit pro vobis, ſicut pollicitus eſt vobis;* & Leuit. XXVI. 8. *Quinque ex vobis perſequentur centum, & centum ex vobis perſequentur decem millia.* Ita Heros ille Joſeb *Baſchebeth excitabat haſtam ſuam ſemel ſuper octingentos vulneratos.* 2. Sam. XXIII. 8. *Samgar percuſſit ſexcentos viros ſtimulo boum.* Jud. III. 31.

Quid mirum, ſi Herois vires glorioſa hâc actione & cum Philiſtæis pugnâ fuerint defatigatæ, fluida multa deperdita, Glandulæ Faucium exiccatæ, ut inſequi neceſſariò debuerit ſitis, eaque intenſa? v. 18. *Quum autem vehementer ſitiret, clamauit ad DOMINUM, & ait: Tu effeciſti magnam hanc ſalutem per manum ſerui tui, & nunc ſiti enecor, & incido in manum incircumciſorum iſtorum.* (*Sitiensque valde, clamauit ad DOMINUM, & ait: Tu dediſti in manu ſerui tui ſalutem hanc maximam, atque victoriam: & en ſiti morior, incidamque in manus incircumciſorum.*) Parum equidem fauenter de Heroe noſtro ſcribit *Joſephus*, ſitim hancce intenſam in pœnam ei adjudicans, quod Triumphum de hoſtibus propriis adſcripſerit viribus, μείζω ἢ χρὴ ἐπὶ τᾶτο Φρονῶν, ὲ κατὰ ΘΕΟΥ συνέργειαν ἔλεγε τᾶτο συμβῆναι, τὴν τ' ἰδίαν ἀρετὴν ἐπέγραψε τῷ γεγονότι. Ipſe equidem Simſon in Cantico ſuo triumphali v. 16. *Maxilla Aſini trucidaui aceruum hoſtium, imo duos aceruos, Aſini maxilla cæcidi mille viros.* (*In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum deleui eos, & percuſſi mille viros.*) Sed judicatu facile, non eum intelligere proprias, ſed à DEO ſibi conceſſas vires. *Spiritus DOMINI proſpere egit in ipſo.* v. 14. (*irruit Spiritus DOMINI in eum.*) Et iis Heroem noſtrum adnumerat Gentium Doctor, qui Fide magna geſſerunt. Hebr. XI. 32. Neque cum idea Pœnæ ſeu dictatæ ſeu inflictæ congruit Miraculum, quo DOMINUS *diſſecuit molarem, ut proſluerent ex eo Aquæ*, quibus refocillatæ fuere vires dejectæ. Multum faceſſit negotii Interpretibus hic Sacri Codicis Locus, ſi quis alius. Vocem מַכְתֵּשׁ *machteſch* multi cum *Bocharto* explicant per *mortariolum in maxilla.* LXX. habent τὸν λάκκον τὸν ἐν σιαγόνι, aliæ Editiones, τὸ τραῦμα τῆς σιαγόνος. *Jarchi* aliique Hebræorum Magiſtri *foſſam, in qua dens ſitus eſt, facta inſtar mortarii*, cujusmodi foſſas Anatomici vocant *Alueolos Dentium.* Alii per *machteſch* intelligunt *Petram*, ut ſenſus ſit, aperuiſſe vel diſſecuiſſe DEUM Petram Machteſch dictam in Lehi, qui ipſe Locus poſtea *vocatus* fuerit *Fons inuocantis*, quod ſanè in Maxillam haud quadrat. Eſt & מַכְתֵּשׁ Loci nomen Zeph. I. 11. quem Nos damus *mortarium; ululate habitatores mortarii*, (*ululate habitatores pilæ*) *heulet, die ihr in der Stampf-Mühle wohnet.* Suffulcit & *Joſephi* authoritas eos, qui Aquam ex Petra fluxiſſe volunt. Πρὸς ἣν τὰς ἱκεσίας ἐπικλαυθεὶς ὁ ΘΕΟΣ πηγὴν κατά τινος πέτρας, ἀνίησιν ἡδεῖαν καὶ πολλήν: Ita & Chaldæus interpres, quòd projectâ maxillâ in petram profluxerint Aquæ. Inhæremus nos Tigurini magis ſenſui literali, quandoquidem indubium, *machteſch* deſignare τριβεῖον, *mortarium*, quo ſenſu euidenter ſumitur Prov. XXVII. 22. *Stultum ſi contuderis piſtillo in mortario inter ptiſanam, non recedet ab eo ſtultitia ejus.* (*Si contuderis ſtultum in pila, quaſi ptiſanas feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia ejus.*) Auget hæc interpretatio Miraculi vim, quòd ex Dentis alueolo tantum profluxerit Aquæ, quantum ſuffecit extinguendæ Simſonis ſiti, ut olim Iſraelitis Aqua profluxit ex petra, & mel cum oleo aucta fuere in gratiam viduæ Sareptanæ. Memorat *Plinius* L. X. c. 33. veſicas in corpore Orygis Aquâ plenas, ſiue hydrophylacia, quæ Getulis latronibus in deſerto ſitientibus fuerint ſolatio, ut ſunt mercatoribus Turcis hydrophylacia in Camelorum Ventriculis. Verba ejus hæc ſunt: *Orygem perpetuò ſitientem Africæ generant, & naturâ loci potu carentem, & mirabili modo ad remedia ſitientium. Namque Getuli latrones eo durant auxilio, repertis in corpore eorum ſaluberrimi liquoris veſicis.* Ita & Metallifoſſoribus ſolatio ſunt *Enhydri, Aetitæ* genus Aquâ repletum. Sed heic nihil tale. Ex alueolo Dentis Naturæ viribus nîl profluit Aquæ; ſed nec ex dura Petra.

Sunt ex modernis benè multi, qui contendunt, non fluxiſſe Aquam ex Dentis alueolo: *Foſſam* pro מַכְתֵּשׁ ſubſtituit *Clericus*, excauatam, ubi Simſon ſteterat, mortarii ad inſtar. Potiſſimum argumentum inde deducit, quòd *hinc vocatum fuerit nomen ejus fons inuocantis, qui in Lehi eſt, usque in hunc diem.* Nemo ſanè facile ſibi perſuaſerit, fluxiſſe poſtea ſemper Fontem ex Aſini Maxilla, Dentisue alueolo; ſed nemo non, ex Foſſa, quam Codex Vaticanus vocat λάκκον, Alexandrinus τραῦμα τῆς σιαγόνος, Aldinus & Complutenſis τὸ τραῦμα ἐν τῇ σιαγόνι. Imò *Joſephus Ant.* L. V. c. 10. addit, nomen huic loco poſteà fuiſſe Σιαγών, *maxilla.* Subſcribit & *Uſſerius Annal.* ad A. 3578. Alios taceo. De *Fonte inuocantis* quilibet ſententiam fouet ſuo ſyſtemati conformem; *Bochartus*, alium fuiſſe ab eo, qui Simſoni dedit Aquam; *Clericus*, profluxiſſe per miraculum, ſed Aquæ ductibus ſubterraneis ſemel huc directis, continuaſſe poſtea fluxum juxta Naturæ Leges, quæ ſententia mihi haud diſplicet.

Nouam prorſus interpretationem, ſed non lucem, toti huic Hiſtoriæ dat obſeruator quidam Hallenſis Tom. II. Germ. qui *maxillam Aſini* conuertit in *Agmen militum.* En, quam

dat

IUD. Cap. XV. v. 14.
Simſon καλωδιοδιασπάσης.

Buch der Richt. Cap. XV. v. 14.
Simſon der Strick-Zerreiſſer.

I. A. Fridrich sculp.

IUD. Cap. XVI. v. 3-30.
Simſon Φυλοφόρταξ.

Der Richter Cap. XVI. v. 3-30.
Simſon der Thor-Träger.

I.G. Puitz sculps.

IUD. Cap. XVI. v. 29. 30.
Ultima Roboris Simsonici.

D. der Richt. Cap. XVI. v. 29. 30.
Simsons letzte Stärcke.

H. Sperling sculp.

dat, Verſionem. *Und Simſon fand eine friſche Parthey in ihrer Munterkeit, und reckte ſeine Hand aus, und commandirte ſie, oder führte dieſelben an, und ſchlug damit 1000. Philiſter.* Nouus hic Commentarius quia Philologicis nititur argumentis, ſuperſedere facile poſſum tum uberiori illius explanatione, tum ad Leges ἑρμηνείας Examine, quod in ſe ſuſcepit *Joh. Jacobus Seiferheld* in *Vindiciis Philologicis Loci Jud.* XV. *com. 15. de Maxilla Aſini, in quibus iniqua Obſeruatoris Hallenſis* ψευδερμηνεία *refutatur, & B. Lutheri Verſio defenditur.* Tubing. Lit. Hiobi Franckii 1716. 4. Legi etiam poteſt M. *Joh. Chriſt. Ortlob de Fonte Simſonis prope maxillam, ejusque ſchediasma bipartitum.* Lipſ. 1708.

TAB. CCCLXXXV — CCCLXXXVII.

Jud. Cap. XV. verſ. 14.

— Spiritus DOMINI proſperè egit in ipſo, factique ſunt funes, qui erant in brachiis ejus, ut lina igne combuſta, & diffluxerunt vincula ejus à manibus ſuis.

— Irruit Spiritus DOMINI in eum: & ſicut ſolent ad odorem ignis ligna conſumi, ita vincula, quibus ligatus erat, diſſipata ſunt & ſoluta.

Jud. Cap. XVI. verſ. 3. 9. 12. 14. 19. 29. 30.

3. — Media nocte ſurrexit, & apprehendens fores portæ ciuitatis cum duobus poſtibus, amouit eas unà cum vecte, impoſitasque humeris ſuis portauit eas in cacumen montis, qui eſt è regione Hebron.

3. — Media nocte conſurgens, apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſera, impoſitasque humeris ſuis portauit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron.

9. — Ilico rupit funes illos, ut rumpi ſolet funiculus ſtuppeus, dum ignem ſentit.

9. — Qui rupit vincula, quomodo ſi rumpat quis filum de ſtupa, tortum ſputamine, cum odorem ignis acceperit.

12. — Abrupit eos (funes) à brachiis ſuis tanquàm filum.

12. — Qui ita rupit vincula, quaſi fila telarum.

14. — Et expergiſcens è ſomno ſuo clauum texturæ cum jugo extraxit.

14. — Qui conſurgens de ſomno, extraxit clauum cum crinibus & licio.

19. Effecit autem (Dalila), ut dormiret ſuper genua ejus, & vocato viro detondet ſeptem cincinnos capitis ejus, cœpitque affligere eum, & receſſit robur ejus ab eo.

19. At illa dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput: vocauitque tonſorem, & raſit ſeptem crines ejus, & cœpit abigere eum, & à ſe repellere: ſtatim enim ab eo fortitudo diſceſſit.

29. Complexus itaque eſt Samſon duas columnas intermedias, quibus domus ipſa nitebatur, & qui-

29. Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dex-

bus fulciebatur, alteram dextera sua, alteram siniſtra sua.

30. Simulque dixit Samson: Morietur anima mea cum Palæstinis. Et quum toto robore inclinaret, cecidit domus ipsa super satrapas, superque omnem populum, qui erant in ea. Fueruntque eorum plures, quos moriens interfecit, quàm quos in vita sua occiderat.

tera, & alteram læua tenens.

30. Ait: Moriatur anima mea cum Philisthiim. Concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat: multoque plures interfecit moriens, quam antè viuus occiderat.

HAud existimo, dubitare quempiam, quin hæc, quæ recensentur, roboris Simsonei specimina fuerint auxilii Diuini potius, quàm Naturæ producta, Miraculis proin accensenda, DEOque, cujus *Spiritus prosperè egit* in Heroe, accepta referenda. Vidimus equidem nostra ætate Pseudo-Simsones, *Guilielmum Joy*, Anglum, & *Johannem Carolum ab Eckenberg*, Germanum, qui Naturâ ductrice, & Arte adjutrice, talia patrarunt, quæ incautus quis facilè cum Simsonis gestis confundere, sibique ac aliis imponere ad Miraculorum fidem eludendam, posset; Haud proin abs re erit, si parallelismum instituamus inter veri Simsonis miraculosa gesta, & Pseudo-Simsonum effecta, vel potius hæc & illa à parallelismo liberemus.

Primum Simsonis Experimentum, idque ter iteratum fuit funium, quibus alligatus Philistæis adduci debebat, disruptio. De hoc ita Sacer Codex: *Facti sunt funes, qui erant in brachiis ejus, ut lina combusta, & diffluxerunt vincula è manibus suis. — Rupit funes, ut rumpi solet funiculus stuppeus, dum ignem sentit — Abrupit funes à brachiis suis tanquam filum.* Siue jam vincula filorum, quibus funes colligati erant, reapse, sed miraculo fuerint soluta, & veluti igne combusta, siue, quòd Simson DEI potentia adjutus ruperit funes crassos, fortes, nouos, benè colligatos, ut rumpi solet filum. Rumpunt & moderni Simsones funes, eosque pollicem crassos, sed rupturæ plus contribuit Ars, quàm Natura. Non, quod ille fecit, manus & brachia ligari patiuntur funibus, sed hos circumligant columnæ, cui ipsum alligant corpus mediante fascia lata, in certa à columna distantia, ut & pedibus contra columnam niti, & totius corporis vires applicare operi queant: dehinc funem discindendum palo suspendunt ferreo, & utroque brachio vecti transuersæ applicato, funem tensum atque insuper contortum tamdiu hinc inde agitant, ut filum unum rumpatur post alterum, ac denique integro fune rupto in posteriora recidat Experimentator. Heic nemo non videt, plurimùm ad rupturam conferre agitationem totius corporis & veluti librationem siue reciprocationem; clauum siue hamum incuruum ferreum, ad quem atteritur funis: contorsionem, quâ tenduntur magis fila.

De altero Simsonis Experimento ita Sacer Codex: *Apprehendens fores portæ ciuitatis cum duobus postibus, amouit eas unà cum vecte, impositasque humeris suis portauit eas in cacumen montis, qui est è regione Hebron.* Non equidem exprimitur pondus, quod gestauit Simson; non resistentia postium vectiumque, quibus fores firmatæ erant, facile tamen quiuis ex circumstantiis Textus colligere potest, opus fuisse & heic Auxilio Diuino, & longè inferiora esse Experimenta, quæ faciunt Simsones moderni. Sustulit Anglus ille Plumbi pondus 2014. Germanus Tormentum majus 1900. Librarum; sed nec hic diu pondus sustinuit, nec ille, nedum aliquo usque, nedum in Montis apicem portauit uterque. Neque sustulere hi pondera brachiorum ope, sed potius Lumborum, imo totius Dorsi & corporis viribus: quatuor catenis prehensum Tormentum hamo ad corpus medium firmato alligant, junctis genubus & incuruato corpore rursumque erecto pondus sustinent, moxque demittunt. Ut proin rursum heic omne, quod patrant, mirum proportioni certæ mechanicæ adscribendum veniat, non miraculo.

Idem, quod hactenus, ferendum judicium de alio Simsonis Experimento, quo *clauum texturæ cum jugo extraxit.*

Extra omnem Miraculi controuersiam, imò omnis Ratiocinii limites est ultimum Roboris Simsonici exemplum, inimitabile prorsus, quo Heros *complexus duas columnas intermedias, quibus nitebatur domus, & quibus fulciebatur, alteram dextera sua, alteram siniſtra sua.* DEI inuocato auxilio, *toto robore inclinans* ruinæ dedit *domum*, ut *ceciderit super satrapas, superque omnem populum, qui erant in ea, fuerintque plures eorum, quos moriens interfecit, quàm quos in vita sua occiderat.* Quo ipso Typus extitit Saluatoris optimi, qui morte sua debellauit potentissimos generis humani hostes, Satanam, Mun-

Mundum, Mortem. Tantò autem eſt Miraculi nomine dignius ultimum hoc Simſonis Experimentum, quia id fecit viribus fractus, oculis orbus; & poſtquam, *detonſis ſeptem cincinnis capitis ejus, receſſit robur ejus ab eo:* receſſit non juxta ordinarium Naturæ curſum, ſed ita ordinante & diſponente ſummi Numinis prouidentia, quæ modo prorſus ſingulari & extraordinario vires Nazareni hujus alligauit capiti non tonſo, & capillis integris, nunquam reſectis. Qui hac de re plura legere cupit, inprimis de modernorum Simſonum variis Experimentis, legat Cl. *Kanoldi Breßl. Samml.* III. *Verſuch* p. 822. *Cluueri philoſoph. Zeitvertreib.* p. 93. ubi varia habet, quæ Philoſophiam occultam, Signaturis fundatam, chymiam, redolent, cum grano ſalis legenda.

LIBER RUTH.

Ruth. Cap. III. verſ. 3.

Lauabis igitur, & te inunges, amicierisque veſtimentis tuis, & deſcendes in horreum, ut nemo ſentiat te (adeſſe), donec ille plenè ederit & biberit.

Lauare igitur, & ungere, & induere cultioribus veſtimentis, & deſcende in aream: non te videat homo, donec eſum potumque finierit.

BInæ ſunt rationes, quæ ſuadebant Balneum, & Inunctionem. Nudipes forſan, & lacero veſtitu, per diei decurſum colligebat paupercula ſpicas, collutulata puluere, ſudore manans, qui Boæ haud fuiſſet gratus. Comparere autem debebat viribus refocillata, veſtitu nitido, odore ſuaui. Huc collimabat conſilium Naemi de Balnei ingreſſu, & Inunctione applicanda. His mediis debebat mundari, ſudor aduerſus abigi, vires recolligi, maritanda commendari. Notum, eſſe Balnea & Unctiones in Orientalibus Regionibus frequentiſſimi inde à vetuſtiſſimis temporibus uſus & neceſſarii. Qui mos transiit ex Oriente in Italiam, ab Aſiaticis populis ad Romanum, de cujus Balneationibus & Inunctionibus multa legas apud Hiſtoriæ Romanæ Scriptores. Solebant fœminæ, noctu Veneris Templum frequentaturæ, Deæ huic, & ſibi forſan ipſis, ſacrificia & dona oblaturæ, ſeſe prius mundare, ungere, fucare. Teſtimonium lege de binis ſororibus in Plauti Pœnulo *Act.* I. *Scen.* 2.

> Nam nos usque ab Aurora ad hoc, quod diei eſt,
> Ex induſtria ambæ nunquam conceſſauimus
> Lauari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari,
> Poliri (unguento), expoliri, fingi, pingi, &c.

Ruth. Cap. III. verſ. 15.

Et addidit: Adhibe pallium, quod ſuper te eſt, & tene illud. Et quum illud teneret (Ruth, Boas) demenſus eſt ſex Epha Ordei, & imponens ei, ingreſſus eſt ciuitatem.

Et rurſum: Expande, inquit, pallium tuum, quo operiris, & tene utraque manu. Qua extendente, & tenente, menſus eſt ſex modios hordei, & poſuit ſuper eam. Quæ portans ingreſſa eſt ciuitatem.

IN Textu originali extant duntaxat שֵׁשׁ שְׂעֹרִים *ſcheſch ſeorim*, *ſex Hordeorum*, ut LXX. ἓξ κριθῶν, ſcilicet menſuræ. Sed quales? ſi fuerint *Ephah*, ut vult Latina noſtra, reportauit Ruth Quartalia Tigurina 6. cum Modiolis $12\frac{47}{85}$. circiter $1\frac{1}{2}$. centenarios, modio computato pro centenario, vel in circa. Vero eſt ſimilius, ne onus fiat portatricis viribus majus, fuiſſe *Sata*, *Seah*, quæ menſura eſt $\frac{1}{3}$. Ephah: ita dabunt 6. menſuræ 2. quartalia $4\frac{133}{170}$. modiolos: poſito Ephah pro 2022. pollicibus Pariſinis, ſiue 1. quartali $2\frac{33}{85}$. modiolis:

ſeah pro 6⅔. modiolis, Mäslein, menſuræ Tigurinæ. De *Hordeo* annota, ſubſiſtere Hebræum שְׂעֹרָה *ſeorah* hodie adhuc apud Arabes, qui Frumenti hoc genus vocant *ſe-yr*, *ſæ-yr*, ut Turcæ *ſæ-yret*. *Meninzk. Lex.* 130. 1666. 2822. unde fortè eſt Polonorum *ziarno*.

LIBER PRIMUS SAMUELIS.

TAB. CCCLXXXVIII.

1. Sam. Cap. II. verſ. 8.

Excitat è puluere tenuem, & inopem è ſtercore extollit, ut collocet cum Principibus, facitque ut hæreditatem capiant ſolium gloriæ. Quoniam DOMINI ſunt columnæ Terræ, & poſuit ſuper eas orbem.

Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem, ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat. DOMINI enim ſunt cardines Terræ, & poſuit ſuper eos orbem.

PUlchrè argumentatur in Cantico ſuo euchariſtico pientiſſima Hanna à maximo ad minimum, licet Logicum Wendelini Syſtema nunquam legerit. Nempe ſi DEUS maximum illud Mundi totius, Terræ in ſpecie, Syſtema, habitaculum noſtrum infinitâ ſuâ Potentiâ atque Sapientiâ condidit, pulcherrimeque exornauit, poterit utique & *excitare è puluere tenuem, & inopem è ſtercore extollere, atque cum Principibus collocare.* Non permittit loci hujus & temporis anguſtia, ut Articulum hunc de ſpeciali, imo ſpecialiſſima DEI prouidentia in omnes omnino Homines, horum vitam, Honores, Diuitias, Sanitatem, Bona quæuis, imò pilos, in omnia Animantia, Vegetabilia, deprædicem, dicturus pauca de Argumento, quo Hanna utitur, demonſtratiuo, à Creatione & Conſeruatione Mundi deſumto. *Quoniam DOMINI ſunt columnæ Terræ, & poſuit ſuper eas Orbem.* Nemo non videt, eſſe has phraſes mutuò ſumptas ex Architectura Ciuili, quæ ſolido ſuperſtruit fundamento Ædificium contra injurias ventorum, pluuiæ, externas internasue alias. Sed abſit, ut præter Creatoris omnipotentiſſimum nutum aliis ſuperſtruamus columnis Mundi Syſtema. Ideæ, quas Ratio nobis dictat de Intellectu DEI ſapientiſſimo, & voluntate potentiſſima, imo quoque Natura integra, hujusque conſpectus, clarè nos docent, alias eſſe vias DEI, Hominum alias, Entis ſupremi cogitationes infinitis differre paraſangis à cogitationibus noſtris: Inædificat Homo Saxis, Ligno, Terræ firmæ; ſed מְצֻקֵי אֶרֶץ *columnæ Terræ*, imo corporum quorumuis totalium, ſunt fluidiſſimus atque ſubtiliſſimus Aer, imo Æther, in quo ad fundum cadunt tenuiſſimi quique puluiſculi, ſed ex Nihilo pendent, vel liberrimè natant præter Terram Corpora omnia Planetica. Conſiſtunt Regulæ Diuinæ hujus Architecturæ, merè arbitrariæ, in preſſione uniuerſali & mutua omnium & ſingulorum Mundi corporum ad inuicem, & ſpeciali omnium Terrei Vorticis partium ad centrum hujus Planetæ, in exquiſitiſſima virium Centripetarum & Centrifugarum διαμετρήσει, quæ præſtantiſſimorum Philoſophorum Mathematicorum noſtri Seculi exercet ingenia. Ducit nos ad ipſam hanc Philoſophiam emphaſis Vocabuli, quod adhibetur in Textu; מָצוּק notat *preſſuram*, *anguſtiam*, Radix צק *arctare*, in anguſtum premere ſpatium, ut notum, eſſe Ædium fundamina tantò firmiora, quò ſunt compreſſa magis. Hujusmodi arctationem, preſſionem, ad intimum usque Terræ centrum, docet Experientia, & ſtabiliunt Obſeruationes, Aerem ipſum eſſe compreſſiorem, ſeu denſatum magis, quò eſt profundior.

I. SAM. Cap. II. v. 8.
Tenues erepti, terra firmata.

I. Buch Sam. Cap. II. v. 8.
Gottes Macht an Armen und Erd-Gründen.

I. G. Pintz sculp.

I. SAM. Cap. V. v. 6-12.
Manus Asotiis gravis.

I. Buch Sam. Cap. V. v. 6-12.
Gottes Hand über dem Philister Land.

I. A. Fridrich sculp.

1. Sam. Cap. III. verſ. 2.

Factum eſt autem quodam tempore, ut Eli jaceret in loco ſuo (oculi autem ejus incipiebant caliginoſi eſſe, ut videre non poſſet.)

Factum eſt ergo in die quadam, Heli jacebat in loco ſuo, & oculi ejus caligauerant, nec poterat videre Lucernam DEI, antequam extingueretur.

INfra 1. Sam. IV. 15. hujusdem debilitatis oculorum iterata fit mentio, & ſimul Ætatis. *Erat autem Eli natus nonaginta & octo annos, ſtabantque oculi ejus, ut non poſſet videre.* Tota Hominis Sanitas comparari haud ineptè poteſt Lumini, vel Luci ſplendidæ, ut Morbi & Mors ipſa Tenebris. Intellectus Hominis, qui objecta diſtinctè concipit, Voluntas ad bonum flexilis, Speculum ſunt, in quo comparent Veritas & Virtus, idque lucidum. Mens è contra ignara, Voluntas Affectibus prauis veluti eclipſata, Tenebræ, opera Tenebrarum operatur. Corporis par eſt ratio. Lucidum dici poteſt id, ſi ſanum, ſi Sanguis & alia fluida in ordinato motu, debito numero, menſura juſta, ſi fibræ in moderata tenſione, ſi Secretiones omnes peraguntur, uti quidem peragi debent. Exemplum ſpeciale ſiſtunt Oculi, Organum ex ſenſoriis præcipuum. Humores ſi puri, diaphani, membranæ & fibræ omnes in tenſione juſta, Retina in ſpecie in ſitu debito, colluſtrata apparent objecta omnia viſibilia, pingunt ſolares radii tanquam totidem penicilla res externas in ipſa Retina, & transeunt in ea factæ impreſſiones ad Cerebrum & Mentem. Sed accreſcente ad ultimam usque decrepitam Ætate, denſatis fluidis, contractis præ rigiditate fibris & membranis, *oculi* redduntur, quales Eli fuere, *caliginoſi.*

TAB. CCCLXXXIX.

1. Sam. Cap. V. verſ. 6. 9. 11. 12.

6. Manus autem DOMINI grauis fuit in Aſotios, & perdidit eos, percuſſitque eos in Podicibus, non Aſotum duntaxat, ſed & limites ejus.

9. Et factum eſt, quum eam transtuliſſent, ut manus DOMINI immineret urbi admodum vehementi impetu, percuteretque Homines urbis illius, non obſcuros modò & humiles, ſed & magnos, ut laterent eis morbi.

11. Miſerunt ergo & congregarunt omnes Satrapas Palæſtinorum, dicentes: Amandate Arcam DEI Iſraelis, ut redeat in locum ſuum, neque perdat me, & populum meum. Fuit enim graſſatio Mor-

6. Aggrauata eſt autem manus DOMINI ſuper Azotios, & demolitus eſt eos: & percuſſit in ſecretiori parte natium Azòtum, & fines ejus.

9. Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus DOMINI DEI per ſingulas ciuitates interfectionis magnæ nimis: & percutiebat viros uniuscujusque urbis, à paruo usque ad majorem, & computreſcebant prominentes extales eorum.

11. Miſerunt itaque & congregauerunt omnes Satrapas Philiſthinorum: qui dixerunt: Dimittite arcam DEI Iſrael, & reuertatur in locum ſuum, & non interficiat nos cum populo noſtro. Fiebat

tis in tota ciuitate, nimisque illic inualuerat manus DEI.

12. Porrò viri, qui non moriebantur, multati ſunt in podicibus, ut clamor ciuitatis in cœlos usque aſcenderet.

enim pauor mortis in ſingulis urbibus, & grauiſſima valde manus DEI.

12. Viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in ſecretiori parte natium: & aſcendebat ululatus uniuscujusque ciuitatis in cœlum.

INquirendus heîc venit Morbus Philiſtæis in pœnam datus. Accidit his cum Arca, quòd puero illi Spartano, cui Vulpes ab eo enutrita viſcera eroſit. Morbo, quo Asdoditæ & Ekronitæ fuere afflicti, nomen eſt עֳפוֹלִים *apholim*, qui & occurrit in catalogo eorum Morborum, quos interminatus erat DEUS populo rebelli Deut. XXVIII. 27. Sed difficile erit, determinare præciſè Morbum, cujus deſcriptio in circumſtantiis, ſcitu neceſſariis, deficit. Videamus, quid lucis affundant Interpretes. Maſorethæ hunc Morbum appellant טְחוֹרִים *techorim*, qua voce utuntur quoque Chaldæi & Syri, cum tantilla mutatione. Habent LXX. ἕδρας, *ſedes*, *nates*; *Hieronymus anos*, *ſecretiorem partem natium*, *partem corporis*, *per quam ſtercora egeruntur*. Sic equidem per *ſedem* indicatur Morbi ſedes, ſed non Morbus ipſe. *Joſepho* placet τὸ τῆς δυσεντερίας πάθος, *Symmacho* nunc τὰ κρυπτὰ, nunc περίλυσις τῆς ἕδρας, reſolutio ſedis, item ἕδρα πρόπτωσα, ſedes procidua, *Alui prolapſus*. *Aquilæ* τὸ τῆς Φαγεδαίνης ἕλκος, *ulcus phagedænicum*: Arabibus profluuium Ventris, item *mariſcæ*, *hæmorrhoides*. Subſcribunt Judæi & Chriſtiani plerique. *Bochartus Hieroz.* P. I. L. II. c. 36. diſtingui vult *techorim* ab *apholim*, denotari illo vocabulo Anum, hoc Morbum in Ano, & quidem Tumorem, à Radice עָפַל *aphal*, tumere, efferre ſe, in altum contendere, unde עוֹפֶל *ophel* in ſacris denotet cliuum, collem. Sunt autem Mariſcæ ex Tumorum genere. *Juuenalis Sat.* 2.

Cæduntur tumidæ, Medico ridente, mariſcæ.

Martialis L. I. *Epigr.* 66.

Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.

Et eſt ſanè Morbus hic ex moleſtis, uti & *Hæmorrhoides cœcæ*, præſertim internæ. Internos autem fuiſſe hos morbos, conjicere licet ex v. 9. ubi legitur וַיִּשְׁתְּרוּ לָהֶם עֳפוֹלִים & *abſconditi erant eis loci alti*, quæ verba ſi de morbo intelligenda veniunt, denotant *Ficus*, *Mariſcas*, Tumores internos: ſed quoque poterant occupare externas Ani ſedes, ut occupant ſæpe in Lue Venerea, & notum, quanta adferant incommoda Furunculi in poſterioribus. Externos quoque fuiſſe, conſtat ex eo, quòd *Sacerdotes* & *diuini* Philiſtæis pro auertendo malo ſuaſerint, remittere Iſraelitis unà cum Arca *quinque podices aureos*, & *imagines anorum ſuorum*, I. Sam. VI. 4. 5. ubi expreſſa fit mentio *imaginum*, & v. 11. *imaginum colorum ſuorum*, vel potius *anorum ſuorum*, צַלְמֵי טְחֹרֵיהֶם. Sunt ex S. Scripturæ Interpretibus, qui volunt, Dauidem in hunc Morbum intendere digitum, Pſal. LXXVIII. 66. *Percuſſit hoſtes ſuos in podicem*, *ſempiterno opprobrio eos affecit*; ubi Chaldæus Paraphraſtes habet *mariſcas*, & ita quoque *Apollinaris*, *Auguſtinus*, *Arnobius*, *Theodoretus*, *Suidas*, *Abenezra*: quæ poſterior interpretatio tamen haud videtur neceſſaria, quia, qui in fuga ſunt, percuti poſſunt non ſolùm in podicibus, ſed in integro dorſo; & viri fortes ea inprimis vulnera gloriæ ducunt, quæ pugnando acceperunt ab ante: ita *Thraſybulus* de ſeptem vulneribus, inflictis ſibi ab Argiuis, de quo Epigramma in *Plutarchi Laconicis:*

Τὰν Πιτάναν Θρασύβελος ἐπ' ἀσπίδος ἦλυθεν ἄπνας,
Ἑπτὰ πρὸς Ἀργείων τραύματα δεξάμενος,
Δεικνὺς ἀντία πάντα.

Thraſybulus in clypeo exanimis Pitanen venit,
Cum ab Argiuis ſeptem accepiſſet vulnera,
Ea oſtendens aduerſa omnia.

Ἔξήγησιν hanc claudat obſeruatio de Ficubus ſeu Mariſcis. De his notum, per annos circumferri poſſe absque vitæ diſcrimine: Legimus autem v. 9. 11. occubuiſſe hoc morbo ex Philiſtæis plures. Anſam conjectandi miniſtrat circumſtantia hæc, aſſociaſſe ſe Mariſcis alium morbum grauiorem, eumque Peſtilentialem, vel, intelligendos eſſe per apholim ipſos *Bubones*. Et de his conſtat, eſſe Tumores criticos, quibus qui carent Peſte affecti, vel eos habent paruos, & ut plurimùm Morti in prædam cedunt, vitam è contra & ſanitatem reportantibus iis, qui magnis iisque dolorificis valde decumbunt Bubonibus. Illuſtrat hæc Obſeruatio, ni fallor, v. 12. *Qui non moriebantur*, *multati ſunt in podicibus*. Stragem proin illam nomine peſtem. Conf. *Wegner de Kattis* p. 38.

TAB.

I. SAM. Cap. VI. v. 4. 5.
Philistæorum expiatorium.

I. Buch Sam. Cap. VI. v. 4. 5.
Schuld-Opfer der Philister.

I. A. Fridrich sculp.

TAB. CCCXC.

1. Sam. Cap. VI. verſ. 4. 5.

4. Et dixerunt: Quod verò ſacrificium illud expiatorium erit, quod illi reddemus? Reſponderunt: Juxta numerum ſatraparum Palæſtinorum quinque podices aureos, & quinque mures aureos: eadem plaga eſt omnibus & Principibus veſtris.
5. Facietis igitur imagines anorum veſtrorum & imagines murium veſtrorum, qui vaſtant Terram, & dabitis gloriam DEO Iſraelis, ſi fortè remittat manus ejus à vobis, à Diis veſtris, & à Terra veſtra.

4. Qui dixerunt: Quid eſt, quod pro delicto reddere debeamus ei? Reſponderuntque illi: Juxta numerum prouinciarum Philiſthinorum, quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos: quia plaga una fuit omnibus vobis, & Satrapis veſtris.
5. Facietisque ſimilitudines anorum, & ſimilitudines murium, qui demoliti ſunt Terram, & dabitis DEO Iſrael gloriam: ſi forte releuet manum ſuam à vobis, & à Diis veſtris, & à terra veſtra.

COnſtat ex his Locis, immiſſam fuiſſe Philiſtæis non ſolum plagam *Ficuum*, Mariſcarum, vel ſi mauis, Bubonum aut Carbunculorum, ſed & *Murium*, qui deuaſtarunt agros: Licet horum neque in Textu Hebraico, neque Verſionibus ulla fiat mentio. In LXX. virali legas V. 6. Καὶ μέσον τῆς χώρας αὐτῶν ἀνεφύησαν μύες, καὶ ἐγένετο σύγχησις θανάτε μεγάλη ἐν τῇ πόλει, & VI. 1. ἐξέζεσεν ἡ γῆ αὐτῶν μυας. In Codicibus nempe Alexandrino & Vaticano, nîl verò horum in Complutenſi. Ut omninò conjectare liceat, fuiſſe verba citata Gloſſarum loco Textui addita, id quod LXX. haud infrequens. *Joſephus* equidem illis conſentit, Hiſtoricus celebris quidem, ſed non Canonicus, qui paſſim in fauorem ſuæ Nationis aliqua adjecit, vel etiam ſubſtituit, ut heic ad euitandos Gentilium ſarcasmos loco quinque podicum, & quinque Murium poſuit πέντε ἀνδριάντας, *quinque ſtatuas*. Et videtur Sacerdotibus ipſis Philiſtæis malitioſa fuiſſe conſilii ratio: dum enim donaria aurea appoſuere Arcæ, cogitare poterant facilè, fore donaria hæc vel plagis remedio, conſiliariis proin honori, vel ſacrificia hæc ridicula riſui toti Nationi, ſiquidem non ceſſauerint Plagæ. Neque ullibi legitur, aſſeruata fuiſſe ſimulacra hæc in Arca, vel juxta eam, ſed quidem, manſiſſe in Bethſemes.

Mures quod attinet, fuerunt eæ quidem Inſtrumentum prorſus extraordinarium, quo Philiſtæi à DEO debebant puniri, certum eſt tamen, aliquando ab hoc Animantium genere integras tantùm non deuaſtari Regiones, præprimis in Oriente; Teſtem habemus *Ariſtotelem Hiſt.* L. VI. c. 37. & *Plinius* L. VIII. c. 29. murium plagam inter exitii documenta ex contemnendis Animalibus numerat, exemplo *Gyari Cycladum Inſulæ*, cujus *incolæ à Muribus* fuerint *fugati*. Idem de incolis *Troadis* L. X. c. 65. de *Abderitis Juſtinus*. L. XV. c. 2. De Exercitu *Sannacheribi* ab agreſtibus muribus in fugam acto *Herodotus* L. II. *Joſephus Ant.* L. X. c. 1. De *Italiæ* quibusdam populis *Ælianus* L. XII. c. 41. *Diod. Sicul. ant. Rom.* L. III. Quin & Ægyptii apud *Horum* L. I. c. 47. deſolationem repræſentabant imagine muris, ἀφανισμὸν δηλοῦντες, μῦν ζωγραφοῦσιν, ἐπειδὴ πάντα ἐσθίων μαίνει καὶ ἀχρηστοῖ. Qui plura volet, legat, præter *Bochartum*, *Gothofredi Wegneri Tractatum curioſum de Rattis, damnoſo truculentoque inter mures populo, quo Neoſtadium Eberswaldenſe in Meſomarchia Brandenburgica oppidum initio hujus ſeculi mirabili ratione liberatum eſt.* Gedani. 1699. 4.

TAB. CCCXCI.

1. Sam. Cap. XII. verſ. 17. 18.

Annon hodie Meſſis triticea? Clamabo ad DOMINUM, & edet Tonitrua & Pluuiam, ut cognoſcatis & videatis, quod malitia veſtra magna ſit, quam feciſtis in oculis DOMINI, poſtulando vobis Regem.

Et clamauit Samuel ad DOMINUM, & edidit DOMINUS Tonitrua & Pluuiam in die illa, uniuerſusque Populus vehementer timuit DOMINUM & Samuelem.

Nunquid non meſſis tritici eſt hodie? inuocabo DOMINUM, & dabit voces, & pluuias: & ſcietis, & videbitis, quam grande malum feceritis vobis in conſpectu DOMINI, petentes ſuper vos Regem.

Et clamauit Samuel ad DOMINUM, & dedit DOMINUS voces, & pluuias in illa die, & timuit omnis populus nimis DOMINUM & SAMUELEM.

IN noſtris Europæis Regionibus, & tota Zona Septentrionali temperata nec inter mira, nec rara, refertur Tonitru ac Pluuia tempore Meſſis, imò vero per totum Anni decurſum non ſunt frequentiores Tempeſtates Tonitrubus, Fulminibus, Grandine & Imbribus ſociatæ, quam Æſtate. Quid ſentiendum igitur de alloquio Samuelis ad Populum? *Annon hodie meſſis triticea? clamabo ad DOMINUM, & edet Tonitrua & Pluuiam*, conferendo cum v. 16. *Nunc conſiſtite & ſpectate rem iſtam grandem, quàm DOMINUS facit coram oculis veſtris.* Heic ſciendum, in Zona Torrida, & adjacentibus ei Regionibus, uti ipſa Palæſtina, menſibus hybernis non labi, ut apud nos, Niuem, ſed largos & continuos fere Imbres, æſtiuis è contra menſibus ſereno conſtanter gaudentibus cœlo, ut rari quid ſit, Julio menſe, quo ſata colligunt, videre Pluuiam; nemo proin Iſraelitarum, qui præſentes fuere, præſtolari potuiſſet Pluuiæ lapſum. Meretur huc apponi, quod ſcribit *Hieronymus ad Amos* IV. *Prohibui à vobis imbrem, cum adhuc ſupereſſent tres menſes*, (ita DEUS ad populum Amos IV. 7.) *quæ appellatur Pluuia ſerotina, & agris Palæſtinæ, aruisque ſitientibus vel maximè neceſſaria eſt: ne quando herba turgeret in meſſem, & Triticum parturiret, nimia ſiccitate areſceret. Significat autem vernum tempus extremi menſis Aprilis, à quo usque ad meſſem Frumenti tres menſes ſuperſunt, Majus, Junius, Julius — Quod ſi recipimus, omnino juxta Orientis omnes Regiones & inſolitum, & impoſſibile eſt. Nunquam enim in fine menſis Junii, ſiue in menſe Julio, in his Prouinciis, maximeque in Judæa, Pluuias vidimus. Denique in Regum Libris* (heic nempe) *pro ſigno magno atque portento diebus Æſtatis & Meſſis orante Samuele Pluuiæ concitatæ ſunt. Et ſuperfluum erat nunc comminari menſis Julii ſiccitatem, in quo nunquam pluuias dederat.* Menſibus nempe hybernis & vernis humectari debet, & veluti fimo ſaturari Terra, præteritis menſibus exucca prorſus reddita & indurata, eò usque quidem, ut Ferro non cedat in Capite Bonæ ſpei: ita fit, prouidente Creatore, ut Aqua pluuia infra ſupremum Terræ Corticem deſidens ibi ſubſiſtat, inſeruitura in nutrimentum Plantis per menſium ſiccorum decurſum. Admiramini heiç & adorate mecum optimam ſummi DEI Prouidentiam. In Regionibus hujusmodi calidioribus Pluuia per vices, uti in Temperatis, cadens exitio foret Vegetabilibus, utpote quorum ſtructura ab Aqua humectata & veluti emollita æſtum Solis perpendicularis, vel quaſi, ſufferre non poſſet, uti & nos quandoque obſeruamus, aduri Vites, ſi Pluuiam inſequatur Aeris ſerena Sole æſtuante facies.

I. SAM. Cap. XII. v. 17. 18.
Effusis gravis decidit imber aquis.

I. Sam. Cap. XII. v. 17. 18.
Donner und Regen.

I. G. Pintz sculp.

I. SAM. Cap. XIV. v. 14.
Strages in jugeri dimidio.

I. Buch Sam. Cap. XIV. v. 14.
Schlacht auf der halben Zauchart.

G. D. Heüman sculps.

I. SAM. Cap. XVI. v. 16 - 23.
David Citharoedus.

I. Buch Sam. Cap. XVI. v. 16. 23.
David ein Harffen-Schläger.

G. D. Heiman sculp.

TAB. CCCXCII.

1. Sam. Cap. XIV. verſ. 14.

Fuit hæc prima ſtrages, in qua Jonathan unà cum Armigero ſuo percuſſit circiter viginti viros, idque ferme dimidio ſulco jugeri in agro.

Et facta eſt plaga prima, qua percuſſit Jonathas & armiger ejus, quaſi viginti virorum in media parte jugeri, quam par boum in die arare conſueuit.

Quaſi in medio ſulci jugeri agri, כְּבַחֲצִי מַעֲנֵה צֶמֶד שָׂדֶה ſpatium eſt, quod in Cubitis pedibusue quadratis exprimi poſſet & deberet, ſiquidem nota foret Jugeri Hebraici magnitudo. *Clericus* per מַעֲנֵה *maanah* intelligit Agri ſpatium à pari Boum arabile per diei decurſum; notum namque, ſulcum unum trahi poſt alterum, & ipſa vox צֶמֶד *tſemed jugum* denotat, unde *jugerum*, & Germanorum *juchart*. Hinc *Hieronymus* verba Textus noſtri reddit ita, *in media parte jugeri, quam par boum arare conſueuit*, & *Chaldæus*, *circiter ſpatium dimidiæ itionis agri Taurorum in agro*. LXX. ἐν βόλισι καὶ ἐν πετροβόλοις καὶ ἐν κόχλαξι τῆ πεδίῳ verba ſunt prorſus δυσνόητα. Ipſi Romani, ut *Jugerum* deriuarunt à *Jugo*, menſuram quoque ſpatii deſumſere à Boum binorum jugo junctorum labore. *Plin.* L. XVIII. c. 3. *Actus, in quo Boues agerentur cum aratro impetu juſto. Hic erat 120. pedum, duplicatusque in longitudinem jugerum faciebat.* Sed erat apud Romanos *Actus* vel *ſimplex*, vel *quadratus*. Ille juxta *Varronem* habebat 4. pedes in latitudine, 120. in longitudine, proin 480. pedes quadratos. *Columella* L. V. c. 1. *Actus quadratus undique finitur pedibus 120. & hoc duplicatum facit Jugerum, & ab eo, quod erat junctum, Jugeri nomen accepit.* Sequitur inde, Jugerum fuiſſe longum 240. latum 120. pedes, aream 28800. pedum quadratorum, ſcilicet Romanorum, quorum unus æqualis eſt $\frac{1331}{1440}$. Pariſini. Quodſi Jugerum Hebraicum æquale fuerit Romano, contigit Philiſtæorum 20. à Jonathane & ejus Armigero occiſorum clades intra ſpatium 14400. pedum Romanorum. Verùm enim verò non eſt præciſa Jugeri hujus dimenſio tanti, quanti quidem menſuræ aliæ aridorum & fluidorum, momenti.

In Figura adjecta notat a e f d Actum ſimplicem Romanorum.

a g h d. Actum quadratum.

a b c d. Jugerum.

TAB. CCCXCIII.

1. Sam. Cap. XVI. verſ. 23.

Factum ergo eſt, quoties Spiritus DEI erat ſuper Saulem, Dauid acceptâ citharâ pulſauit manu ſua, & tum refrigerium fiebat Sauli, meliusque habuit, receſſitque ab eo Spiritus malus.

Igitur quandocunque Spiritus DOMINI malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat; recedebat enim ab eo Spiritus malus.

RArum habemus in *Saule* ægrum, rarum in *Dauide* Medicum, rarum in *Muſica* remedium. Rara ſubiit Saul fata; nunc *agitauit* eum *Spiritus DOMINI*, *nunc recedente* eo *turbauit eum ſpiritus malus à DOMINO.* v. 14. *(Spiritus autem DOMINI receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam à DOMINO.)* Subjectum ille fuit, in quo dimicabant continuò boni malique Affectus: hodie zelo correptus pro bona cauſa, oeſtro Prophetiæ percitus vaticinabatur inter Prophetarum filios,

imo ex DOMINI mandato pugnabat ſtrenuus contra Philiſtæos & Ammonitas: ſuperbus ac humilis, niſi Saulina humilitas ſit hypocriſis potius, vel animi abjecti & dejecti indicium: infra omnes dignitates, & ſupra omnes: hilaris, iracundus, triſtis, tandemque deſperatus. Mei nec fori eſt, nec inſtituti, primi hujus ſed infortunati Regis condere biographiam. Medicus Medica tractans conſidero eum ut ægrum, eumque per interualla varium.

Haud videntur Judæi priſcis illis & Saulis temporibus curaſſe Spirituum morbos, quod hodie facimus, Helleboro, Venæſectione, Remediis hujusmodi aliis, quæ in officinis chymicis & Pharmaceuticis ſunt obuia, ſed Muſica, & varia ſonorum modulatione, uti & Platonici veteres ſonos accenſuere Spirituum remediis. v. 15. 16. *dixerunt ſerui Saulis* (forſan Archiatri Regii) *ad eum: En Spiritus DEI malus turbat te, dicat quæſo DOMINUS noſter ſeruis tuis, qui coram te ſunt, ut quærant aliquem, qui norit cithara canere, ut quum fuerit ſuper te Spiritus DEI malus, ille ludat manu ſua, & benè ſit tibi. (Dixeruntque ſerui Saul ad eum: Ecce Spiritus DEI malus exagitat te. Jubeat DOMINUS noſter, & ſerui tui, qui coram te ſunt, quærent hominem ſcientem pſallere cithara: ut quando arripuerit te Spiritus DOMINI malus, pſallat manu ſua, & leuius feras.)* Colligo inde, expreſſiſſe Judæos loquendi his formulis Morbos Spirituum illos, quibus Mens afficitur. Conſtat id ipſum ex *Joſepho Ant.* L. VI. c. 9. ubi ita de ipſo hoc Saulis Morbo. Σαῦλον δὲ περιήχεῖο πάθη δεινὰ καὶ δαιμόνια, πνιγμὲς αὐτῷ καὶ σφαγάλας ἐπιφέρονλα, ὡς τὲς ἰατρὲς ἄλλην μὲν αὐτῷ θεραπείαν μὴ ἐπινοεῖν, εἰ δέ τις ἐξάδειν δυνάμενος, καὶ ψάλλειν ἐπὶ κιννύρᾳ, τέτον ἐκέλευσαν ζητήσανλες, ὁπόλαν αὐτῷ προσίῃ τὰ δαιμόνια καὶ ταράττοι ποιεῖν ὑπὲρ κεφαλῆς ἐξάνλα ψάλλειν καὶ τὰς ὕμνας ἐπιλέγειν. Mentio heic fit πάθων δαιμονίων, & notatu inprimis digna eſt vox ἐξάδω, quæ in *Plutarchi ſymp.* idem ſignificat, quod *percanto*, *excanto*, cantando finio, oppoſitè ad ἐπάδω, accino: ſed apud Scriptores alios *excanto*, id eſt, incantatione libero, cantibus δαιμόνιον ejicio ſiue expello. De cura ipſa *Joſephus* ita: ποιήσας ὁπλοφόρον διὰ πᾶσης εἶχε τιμῆς, ἐξήδετο δὲ ὑπ' αὐλῆ καὶ πρὸς τὴν ἀπὸ τῶν δαιμόνων ταραχὴν ὁπότε αὐτῷ ταῦλα προσέλθοι, μόνος ἰατρὸς ἦν λέγων τε τὰς ὕμνας, καὶ ψάλλων ἐν τῇ κιννύρᾳ, καὶ ποιῶν ἑαυλῆ γίνεσθαι τὸν Σαῦλον.

Mei inſtituti non eſt, ventilare, quam noui delicatam ſatis Quæſtionem, an Saul, irruente paroxyſmo, reuerà fuerit ἐνεργέμενος, à Diabolo obſeſſus, vel furioſis potius aut Melancholicis accenſendus? ſed quidem, inquirere in vires, quas exerit Muſica in corpus hominis, mentemue. Nota, quæ Veteres ſeu tradunt, ſeu fabulantur, de *Orpheo* & *Amphione*, quorum præcellens Muſica in ſtuporem traxerit ſaxa, Arbores, atque domarit feros Leones atque Tigrides, id quod *Horatius de Arte Poet.* metaphorico ſenſu mitificationi efferorum hominum adplicat.

Sylueſtres homines ſacer interpresque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ab hoc lenire Tigres, rapidosque Leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis,
Saxa mouere ſono Teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet.

Ceſſit & ipſe Cerberus triceps Orphei Lyræ. Audi iterum canentem *Horatium.*

Tu potes Tigreis comitesque ſyluas
Ducere, & riuos celeres morari,
Ceſſit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ.
Cerberus quamuis furiales centum
Muniat angues caput ejus, atque
Spiritus teter ſanieque
Ore trilingui.

Illuſtrandis his Textibus inſeruiunt Fig. A. maximi moduli Numisma ex *Cimeliarchio Ludouici* XIV. Galliarum Regis Tab. 10. & Fig. B. Orpheus Cerberum Muſicâ domans in veteri Cameo apud *Leonardum Agoſtini Gemme Antiche* P. II. Tab. 8. Ex *Æliani variis* L. XIV. c. 23. & Athenæo L. XIV. c. 5. conſtat, *Spartanos* obſeſſos hoſtes ſuos ſuperâſſe Muſicâ *Terpandri*, quem vocauerint Lesbo, *Clinian* item Pythagoræum toties ceciniſſe Lyrâ, quoties Ira, furor ille breuis, eum tentârit, & quærentibus, cur id faceret, reſpondiſſe, πειῦνομαι. Mitis quoque redditus *Achilles* Citharâ, τῇ κιθάρᾳ κατεπειῦνε, teſte *Homero*. *In Apollonii mirabilibus* c. 48. legitur ex *Theophraſto de Enthuſiasmis*, in multis corporis Animique morbis prodeſſe Muſicam, Lipothymiis, Terrore, Deliriis, Iſchiadico malo, Epilepſia. Τὴν μεσικὴν πολλὰ τῶν περὶ ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα γιγνομένων παθῶν ἰατρεύειν, καθάπερ λειποθυμίαν, φόβες καὶ τὰς ἐπὶ μακρὸν γιγνομένας τῆς διανοίας ἔκςασεις. ἰᾶται γὰρ φησὶν ἡ καταύλησις ἰσχιάδα καὶ ἐπιληψίαν. Ita & *Gellius* L. IV. c. 3. *Creditum hoc à plerisque eſt, & memoriæ mandatum, iſchiaci cum maximè doleant, tum ſi modulis lenibus tibicen incinat, minui dolores* — *Ego nuperrimè in Libro Theophraſti ſcriptum inueni, viperarum morſibus tibicinem ſcitè modulateque adhibitum mederi.* Audite Muſicam de ſe ipſa loquentem apud *Martianum Capellam* L. IX. *Perturbationibus animorum, corporeisque morbis, medicabile crebrius carmen inſonui. Nam phreneticos ſymphonia reſanaui. Quod Aſclepiades quoque Medicus imitatus, cum conſulentibus urbium patribus plebis inconditæ vulgus infremeret, ſeditiones accenſas crebrior cantus inhibuit. Ebrios juuenes, perindeque improbius petulantes Damon,*

unus

unus è ſectatoribus meis, modulorum grauitate perdomuit. Quippe tibicinem ſpondæum canere jubens temulentæ perturbationis dementiam infregit. Quid afflictationibus corporis nonne aſſidua meditatione ſuccurri? Febrem curabant, vulneraque Veteres cantione. Aſclepiades item Tubâ ſurdiſſimis medebatur. Ad affectiones animi Tibias Theophraſtus adhibebat. Iſchiadas quis neſcit expelli auliçâ ſuauitate? Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberabat. Thaletem Cretenſem Citharæ ſuauitate compertum eſt morbos ac Peſtilentiam fugauiſſe. Hieronymus ægrorum venas rhythmorum collocatione penſabat. Certum hoc eſt, Veteres Muſicam calluiſſe applicatiue ad domandos Affectus. Tale quid legitur de *Cano* Tibicine apud *Philoſtratum* L. V. c. 7. De Muſico quodam in Aula Daniæ Regis apud *Alb. Crantz. Dan.* L. V. *Primùm graui ſono mœrorem quendam audientibus ingerebat, inde ſuccinendo, plauſibilius in lætitiam vertit, ut paulum abeſſet, quò minus jocabundi diſſultarent. Tum, modis acrioribus intentatis, indignationem quandam concitabat, quæ ubi inualuit, furere Regem, aſtantesque cernere erat.* Neque deſunt Exempla in Hiſtoria moderna. De Muſicæ effectibus in curanda Febri legatur *Hiſt. de l'Acad. Roy.* 1707. p. 7. de Artis ſaltatoriæ Magiſtro à Febri acuta & Delirio liberato ead. A. 1708. p. 22. Inprimis verò huc quadrant, quæ de *Tarantatis*, à *Tarantula* morſis, legimus integris Libris. Hi quippe in Deliria, & motus varios inconditos abrepti ſolâ curantur Muſicâ; ut ibi Muſici ſint Medici.

Et eſt hæc per Muſicam Medendi Methodus conformis Philoſophiæ ac Medicinæ modernæ Mechanicæ. Qui conſiderat, quod nemini dubium eſt, eſſe ſonum tremulum Aeris motum ſolidiſſimis quibusuis corporibus communicatiuum, is concipiet facile, modulaminibus Muſicis fibras omnes corporis humani in tremores agi proportionatos: tantò quidem magis, quòd id non ſit niſi chordarum concauarum tenſarum artificioſiſſima compages. Sanitas moderata tenſio, qua Fluida omnia ritè circulare, & Spiritus in omnia membra influere queant: Morbi tenſiones vel relaxatæ nimiùm, vel exaltatæ: Muſicâ variante fibrarum tonum nunc tendi plus, nunc minus: arctam adeò eſſe inter corpus mentemque unionem, ut morbi mentis plerumque originem ſuam arceſſant à corpore, hujusue διαθέσει. Eſt materiæ hujus campus adeò amplus, ut omnem comprehendat Medicinam, non tam arctis commentarii, quàm latis Libri integri limitibus circumſcriptus. Sufficiat nobis, noſſe, & certò, modulamine dulci, fabricæ Saulis corrupti corruptæ proportionato potuiſſe fibras tenſas nimiùm relaxari. Quodſi ſupponamus inſuper, Satanam Affectibus noſtris uti tanquam medio, & veluti ſcalâ ad impugnandam expugnandamue Rationis Arcem, haud difficile erit concipere, quod & quomodo canente Dauide *Spiritus malus receſſerit à Saule.* Notum aliàs, Dæmones impuros non fugari εἰ μὴ ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ. Matth. XVII. 21. Sed inde non ſequitur, quod prætendunt nonnulli, liberatum fuiſſe Saulem non tam Muſicâ, quam Pſalmis. Non pugnant ſubordinata, Pharmaca ſpiritualia & corporea. Ex Hiſtoriæ circumſtantiis clarum ſatis, accerſitum fuiſſe à Saulis ſeruis vel Archiatris Dauidem non ſub ſacerdotis, ſed citharœdi titulo. Pone, Muſicæ nullas eſſe in Satanam vires ſiue actionem immediatam, non negabis tamen mediatam & occaſionalem, diſpulſo vehementi Affectu fugari Dæmona. Clarum id ex Eph. IV. 26. 27. ὁ ἥλιος μὴ ἐπιδυέτω ἐπὶ τῷ παροργισμῷ ὑμῶν, μήτε δίδοτε τόπον τῷ Διαβόλῳ. Ita allicitur & bonus Spiritus Muſicâ, quoties Animus tranquillo exultat gaudio in DEO. Fuit Muſica Eliſæo Inſpirationis medium. Ita ipſe 2. Reg. III. 15. *Pſalten mihi adhibete: Quumque caneret Pſaltes, facta eſt ſuper eum manus* DOMINI. Neque adeò contemnenda eſt eorum ſententia, qui Saulem conſiderant ut melancholico-maniacum potius quàm ἐνεργέμενον: ut ſanè extra controuerſiam eſt, & inprimis in confeſſo apud Medicos, energumenos, ſi non omnes, plerosque ſaltem, quos quidem hodie habemus, ad Melancholicorum claſſem eſſe redigendos. Multiplicantur ſæpe Entia, quæ inter eſt Diabolus, absque neceſſitate.

TAB. CCCXCIV.

1. Sam. Cap. XVII. verſ. 4 - 7.

4. Egreſſus autem eſt vir inter duas acies ex caſtris Palæſtinorum, Goliath erat nomen ejus, de Gath, altitudo ejus erat ſex cubitorum & palmi.
5. Galea chalybea erat in capite ejus, & Lorica ſquamata induebatur: pondus autem Loricæ habuit quinque millia Siclorum chalybis.
6. Ocreas chalybeas habuit in pedibus ſuis, clypeus chalybeus erat inter ſcapulas ejus.
7. Contus Lanceæ ejus ut jugum texentium, lamina verò Lanceæ ejus habuit ſexcentos Siclos Ferri, præcedebatque ante eum ferens haſtam.

4. Et egreſſus eſt vir ſpurius de caſtris Philiſthinorum, nomine Goliath, de Geth, altitudinis ſex cubitorum & palmi.

5. Et caſſis ærea ſuper caput ejus: & lorica hamata induebatur: porro pondus loricæ ejus, quinque millia ſiclorum æris erat.
6. Et ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros ejus.
7. Haſtile autem haſtæ ejus erat quaſi liciatorium texentium: ipſum autem ferrum haſtæ ejus, ſexcentos ſiclos habebat ferri: & armiger ejus antecedebat eum.

Goliathi Gigantis altitudo fuit *ſex cubitorum & Palmi*, reducta ad 10. Pedes Pariſinos, 2. poll. $6\frac{1}{10}$. lin. ſuppoſito Cubitum Hebraicum eſſe 1, 944. ped. זרת Palmum $\frac{1}{6}$. cubiti, 397. part. Ped. Pariſin. LXX. quatuor duntaxat habent Cubitos, τεσσάρων πήχεων, & ita *Joſephus*. Reſponderent hi 6. ped. Pariſin. 7. poll. $5\frac{1}{3}$. lin. In menſuris Tigurinis altitudo $6\frac{1}{6}$. cubitorum reſpondet 10. ped. 9. digg. $7\frac{2}{3}$. lineis circiter. Sumit *Eiſenſchmid. Pond.* p. 19. זרת pro *Spithama* ſiue *Dodrante*, ſemiulna. Ex qua Hypotheſi ſurgeret Goliathi altitudo ad 10. ped. 9. dig. $1\frac{1}{3}$. lin. Pariſ. Habet *Matthæus Hoſius Hiſt. Monomach. Dauidis & Goliathi* c. 4. pedes nouem cum dodrante, forſan Francofordienſes ad Oderam.

Sequitur *Lorica ſquamata*, quæ ex ferreis lamellis veluti ſquamis erat formata, hujus pondus fuit 5000. Siclorum, quod, ſi benè computaui, aſcendit ad Libras Medicinales 198. uncias, 8. drachmas, 3. gr. 3, 14. poſitis nempe pro Siclo 3. drachmis, 2. ſcrupulis, 8. 90. granis. Quod ſi Siclum aſſumas pro ſemuncia, obtinebis $139\frac{1}{3}$. Libras communes 36. lothonum ſiue ſemunciarum.

Lanceæ porrò *lamina* habuit 600. Siclos. Dant hi in pondere Medico 23. Libras 10. uncias, 2. ſcrupulos, 17, 97. gr. in pondere communi $16\frac{2}{3}$. Libras.

Crucem interpretibus figit v. 6. כִּידֹן *cidon*, quæ vox occurrit quoque Joſ. VIII. 18. Job. XXXIX. 23. Jer. VI. 23. I. 42. In tres nempe partes abeunt ſententiarum diuortia. 1. Sunt qui ἀσπίδα, *clypeum*, aut θυρεὸν, *Scutum* reddunt: ita & nos, *clypeus chalybeus erat inter ſcapulas ejus, ein ehrener Schild zwiſchen ſeinen Schulteren.* Ita *Hieronymus*, & paſſim Interpretes alii. 2. Chidon aliis eſt ἐπωμὶς, *Humerale*, aut ferreum ἐπιτραχήλιον, quo vel Humeri, vel collum ab ictibus defenduntur. Ita Rabbini, *Kimchius*, *Selomo*, *Leui*, *Eſaias*, Chaldæus & Arabes. 3. γαῖσον, *gæſum*, *haſtile*, *lancea*, aut ſimile Teli genus, ut proin fuerit ὅπλον ἀμυντήριον, non σκεπαστήριον, ad arma pertinens offenſiua, non defenſiua, quod à tergo rejicere poterat inter humeros, ut eo uteretur poſt confectum Haſtæ certamen. Hanc ſententiam pluribus roborat *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 8. qui videatur.

I. SAM. Cap. XVII. v. 4-7.
Goliath Gigas.

I. Buch Sam. Cap. XVII. v. 4-7.
Der Riese Goliath.

Catharina Sperlingin sculps.

I. SAM. Cap. XVII. v. 34. 35. 36.
David Λεοντομαχος.

I. Buch Sam. Cap. XVII. v. 34. 35. 36.
Davids Löwen-Bedwingung.

I. G. Pintz sculps.

TAB. CCCXCV.

1. Sam. Cap. XVII. verſ. 34. 35. 36.

34. Reſpondet Dauid ipſi Sauli: Seruus tuus paſcebat oues patris ſui, irruit autem Leo & Urſus, abripuitque pecudem de grege.
35. Egreſſus ego poſt illum trucidaui eum, eripuique ex ore ejus: quumque inſurgeret aduerſum me, apprehendi eum fortiter barba cum mandibula, percuſſi eum, & interfeci eum.
36. Non Leonem ergo duntaxat, ſed & Urſum interfecit ſeruus tuus —

34. Dixitque Dauid ad Saul: Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat Leo vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis.
35. Et perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos.
36. Nam & Leonem & Urſum interfeci ego ſeruus tuus —

DOcimaſtica en Fortitudinis prima, patrata in prima juuenta, quæ puer Dauid Sauli narrat ingenuè, ouium paſtor Regi ſuo. Sed non eodem modo narrationem hanc intelligunt omnes. Sunt ex Interpretibus, qui Dauidem uno eodemque tempore λεοντομάχον fuiſſe exiſtimant & ἀρκτομάχον. Ita *Caſtellio: Cum Patris mei pecus paſcerem*, Leo *unà cum Urſo gregem adortus ouem ſuſtulit. At ego hunc perſecutus occidi, eique de faucibus prædam extorſi. Tum illum in me inſurgentem roſtro prehenſum afflixi & necaui.* Idem fere conjectare quis poſſet ex noſtris Verſionibus, quæ habent, *Leo & Urſus, ein Löw und ein Bär:* ſed eſt hæc Locutio talis, quæ non minus diuerſo atque eidem tempori applicari poteſt. Interim Rationi magis eſt conſonum, non eodem tempore contigiſſe hanc Leonis Urſique inuaſionem, propter Rationes ſequentes. 1. Leonis non eſt, ubi prædatum it, in conſortium adſciſcere Urſum: imo ne quidem Leænam ſuam admittit expeditionis ſociam. *Ælianus* L. IV. c. 3. Λύκῳ συννόμῳ καὶ ἵππῳ, λέοντι γε μὴν οὐκ ἐξίν. Λέαινα γὰρ καὶ λέων ἅτε τὴν αὐτὴν ἔχουσιν, ἀτ' ἐπὶ θήρας, ἅτε πιόμενοι. *Lupi duo & Equi duo ſimul paſcuntur, Leones duo non item: Leæna enim & Leo neque ad venationem, neque ad potum eandem viam inſiſtunt.* Hinc paſſim Leo apud Poetas cluet μενολέων. 2. verba illa v. 35. *egreſſus poſt illum trucidaui eum*, intelligi non poſſunt de una duntaxat fera, ſeu Leo fuerit, ſeu Urſus, quia v. 36. legitur, Dauidem *interfeciſſe Leonem & Urſum;* plus enim foret in concluſione, quàm in præmiſſis: ſed nec de duabus, quæ ſimul adortæ fuerint ouem: nam v. 35. legi deberet, *egreſſus poſt illos trucidaui eos.* Neque concipi facile poteſt, quomodo Leo Urſusque ſocii auferre ſimul queant ouem, & Heros puer uno eodemque tempore utroque fieri ſuperior; niſi fuiſſet τείχεως, ut una manu potuerit arripere Leonem, Urſum altera, tertia eripere Ouem. Ne Hercules quidem contra duos. Sed neque refugium, quod ſine neceſſitate fit, ad miracula admittunt Interpretes. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 4. & poſt eum *Clericus Comm.* commutant particulam copulatiuam ו *veeth*, & , in disjunctiuam, *aut. Veniebat Leo aut Urſus:* ut ſenſus ſit, ſiue irruperit Leo ſiue Urſus, aggreſſus ſum eos, & trucidaui. Frequens ſatis eſt in Sacris copulæ disjunctiuæ ET ſenſus: & habet ipſa Complutenſis ἤ, ὅταν ἤρχετο λέων ἢ ἄρκτος.

Attentionem meretur modus, isque duplex, quo Dauid feris illis, formidandis aliàs, factus fuit ſuperior: priorem exprimunt hæc verba, *trucidaui eum*, Leonem ſeu Urſum, *eripuique* ouem *ex ore ejus*, id eſt, ſi fortè fera ouem morſu prehendens diſceſſerit à grege, præda ſeſe ſatiatura, inſecutus illam occidi vel clauâ vel haſtâ, & Ouem ex faucibus Leonis mortisue eripui: alterum ſiſtunt, quæ proximè ſequuntur: *quumque inſurgeret aduerſum me, adprehendi eum fortiter barba cum mandibula, percuſſi eum, & interfeci eum. (& illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam interficiebamque eos.)* En igitur in Duello inſurgentem Leonem contra Dauidem, ut eum diſcerperet, Urſum, ut amplectendo Paſtorem comprimeret! ſed & Dauidem, qui una manu Labia & mandibulam, præſertim inferiorem, feræ prehendit, altera eam confodit, ſeu gladio, ſeu haſtâ. Heroicæ virtutis ſunt hæc domeſtica, quibus in tenera

ætate, & veluti in palæſtra, exerceri debebat Dauid, ut maturè DEI auxilium & implorare aſſueſceret & experiri, & pro futuro vitam ſuam & fata firmiſſimo huic fundamento ſuperextruere. Herois fortis & magnanimi eſt

Eſurienti Leoni ex ore exculpere prædam.

Sed nec id ſilentio eſt prætereundum, de quo fortè dubitari nequit, potuiſſe Dauidem in officio ſui paſtoratus quotidie Lacertorum vires probare in dies, & probando augere: docet namque nos & Ratio & Experientia, augeri vires incredibilem fere in modum poſſe Exercitio. Exempla dant Gymnaſia veterum, & Palæſtræ hodiernorum Gladiatorum, imo Simſonum modernorum, quos inter memorari meretur Sereniſſimus Poloniæ Rex AUGUSTUS. Erat Dauid fortis non animo duntaxat, ſed & corpore, *inſtructus* à DEO *manibus ad pugnam, ut arcum chalybeum brachiis ſuis confringeret.* Pſalm. XVIII. 35.

Explicatur Hebræa vox זָקַן *zakan* v. 35. communiter per *barbam*, *apprehendi eum fortiter barba*, & conuenit ex æquo Leoni & Urſo. Apud *Homerum* occurrit paſſim

Λὶς ἠὐγένειος

Leo benè barbatus.

Martialis L. X. *Epigr.* 9.

Barbam vellere mortuo Leoni.

Sed notat & hæc ipſa vox *mentum, mandibulam:* Hinc Chaldæus heic habet *maxillam*, *Hieronymus mentum*, Latina noſtra *barbam cum mandibula*, LXX. φάρυγγα. Quæ vox ſi in ſenſu communi accipienda, compreſſit Heros noſter feras jugulo, vel manu in fauces adacta ſuffocauit. Sed nec id omittendum, quod Itineratores referunt, *Theuenot* inter alios *Continuation de ſon voyage* L. I. c. 13. Arabibus non adeò formidabiles eſſe Leones, quin fugari facile, imo capi & trucidari queant.

TAB. CCCXCVI.

1. Sam. Cap. XVIII. verſ. 9.

Saul ergò malignè intuebatur Dauidem, ex hoc die & deinceps.

Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat Dauid à die illa, & deinceps.

EST quidem *Cor imperveſtigabile* quid Prov. XXV. 4. ut ſolus DEUS clueat *cordium* ſcrutator paſſim in Sacris; non tamen Abyſſus hæc adeò eſt profunda, non Affectus adeò latentes, quin per tranſennam veluti aliquid ſe prodat. Deſint, pone, Feneſtræ cordi, ſpeculum tamen eſt in Facie, quod intueri licet, & in quo Paſſionum characteres, ſyllabas, voces legere datur: & ſunt in ſpecie oculi arguti, immites, liuentes, loquaces, maligni, melliti, minaces, modeſti, obliqui, peruerſi, ſuperbi, torui, truces, amantes, limi; verbo, Tabula, in qua pictos videas Animi tantum non omnes Affectus, imo legas, Iram, Amorem, Inuidiam, Triſtitiam, Gaudium. Qui Ætiologiam inſtituere deſiderat, ei inſpicienda ſunt interanea Cerebri, adeunda Animæ ſedes. Eſt quippe Cerebrum proprie ita dictum cogitationum officina & Motuum voluntariorum, ut Cerebellum inuoluntariarum Actionum. Sed eſt intima & reciproca communicatio Cerebrum inter & Cerebellum. Si quid per Senſuum externorum Organa defertur ad Cerebrum, & præſidem ibi Animam, transit id protinus per Spiritus curſores, viamque Natium, Teſtium, atque Proceſſuum ad Cerebellum, & hinc ad Cor, & viciſſim ex Cerebello ad Cerebrum. Sed ſunt in media via nerui, pathetici dicti, qui in transitu tacti & veluti moniti impreſſiones in Animo factas deferunt ad oculos, hosque pro variantibus Paſſionibus diuerſimodè mouent. Audi *Williſium Anat. Cerebri* c. 21. *Proprium horum* (Neruorum Patheticorum) *munus eſt, juxta Paſſionum impetus, ac Naturæ inſtinctus, à Cerebro in Cerebellum, & vice verſa ab hoc in illud, per Nates & Teſtes, eorumque Proceſſus medullares traditos, remandatosque oculos pathetice mouere — Neceſſe eſt, hos Neruos in media via radicatos, ab omni Spirituum ultrò citroque tendentium ſcopo percelli, proindeque oculorum motus iſtarum partium affectionibus obſequi.*

Sunt Animi Paſſiones tantò violentæ magis, imo vel æſtimandæ magis, vel formidandæ, quia non terminantur in ideis, ſed corporis membris vel utuntur ad bonas, vel abutuntur ad malas actiones, ſiue in actus erumpunt. Ita heic Saulis erga Dauidem concepta indignatio huic tantùm non fatalis v. 11. *Tollens Saul lanceam cogitauit: Trajecto Dauide, infigam lanceam parieti.*

TAB.

I. SAM. Cap. XVIII. v. 9-11.
Saul furiosus.

I. Buch Sam. Cap. XVIII. v. 9-11.
Der wütende Saul.

I. G. Thelot sculp

I. SAM. Cap. XXIV. v. 3.
Iaal, Ibex, Rupicapra.

I. Buch Sam. Cap. XXIV. v. 3.
Iaal, Steinbock, Gemse.

D. Scheuchzer sculp.

TAB. CCCXCVII.

1. Sam. Cap. XXIV. verſ. 3.

— Saul abiit, ut inueſtigaret Dauidem & viros ejus in ſummitatibus rupium, quas conſcendunt Rupicapræ.

— Saul perrexit ad inueſtigandum Dauid & viros ejus, etiam ſuper abruptiſſimas petras, quæ ſolis ibicibus peruiæ ſunt.

OCcurrit heic יַעַל *jaal*, plur. יְעֵלִים *jeelim*, Fœm. יַעֲלָה *jaalah*, uti & Pſ. CIV. 18. Job. XXXIX. 3. Prov. V. 19. Animal, quod alii *Ceruum*, alii *Hinnulum*, alii *Damam*, alii *Capream* aut *Capreolum*, alii *Ibicem*, alii *Rupicapram*, alii *Tragelaphum*, *Hircum ſylueſtrem* alii interpretantur. Tigurini nos in Latina habemus *Rupicapram*, in Vernacula *Ibicem*, *Steinbock*. Pro *Ibice* pugnat *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 23. ſequentibus, quæ in ſynopſin contraham, argumentis. 1. ſunt יְעֵלִים rupicolæ, *confugium* his *celſi montes*. Pſal. CIV. 18. *ſummitates rupium*, in Textu noſtro. *Paſcua in montibus*, Job. XXXIX. 3. Quod idem de *aloruia* teſtantur Scriptores Arabes. Hinc יַעַל à עָלָה *alah*, *ſcandendo*. Iſidor. *Ibices quaſi auices, eò quod inſtar Auium ardua & excelſa teneant, & in ſublimibus habitent, ita ut de ſublimitate vix humanis obtutibus pateant.* Quæ quidem ſcandendi ſummas rupes prærogatiua etiam in Rupicapras quadrat. 2. Arabes tribuunt יַעַל noſtro vaſtitatem cornuum, cornua à capite usque ad nates extenſa; quâ notâ à Rupicapris manifeſtè diſcrepat. 3. Ezech. XXVII. 15. Cornua τῶν יְעֵלִים computantur inter pretioſas merces. Apud *Ælianum* L. XIV. c. 16. ingentium poculorum, ἀδρεῶν κυλίκων, præſtant vicem. Arcus ex iis in Creta fieri teſtatur *Bellonius*. 4. De præcipiti Ibicum in cornua ſaltu aut lapſu multa habent Scriptores. *In hæc ſe librant, ut tormento aliquo rotati in petras potiſſimum è monte aliquo in alium tranſilire quærentes, atque recuſſis pernicius quò libuerit exultant. Plin.* 5. De *aloruia* ſcribunt Arabes, occœcari facile, & apud *Scaligerum*, Ibicem propterea habitare loca frigida. 6. De *aloruia Damir*, eſſe in cornubus duo foramina, per quæ reſpirat, quibus obturatis pereat illicò. Quod de Aegagro etiam *Oppianus* L. II.

Εἰ δέ τις αἰγάγρε κηρὸν κέρασιν περιχέυοι,
Ζωῆς ἐξέκλεισεν ὁδὸς, πνυιῆς τε διαύλε.

Quod ſi quis Ægagri cornibus ceram circumfuderit,
Is vitæ vias intercluſerit, reſpirationisque meatus.

Ubi αἴγαγρος ſiue ἄγαξος idem videtur cum Ibice. 7. De *Aloruia Damir*, & de αἰγάγρῳ *Oppianus*, eam eſſe ϛοργὴν erga Catulos, ut ſi quem capiant horum Venatores, illum ſequatur, & lactet. 8. De eodem Animali uterque Scriptorum citatorum, eam eſſe pietatem erga parentes, ut præmanſo cibo eos alant.

TAB. CCCXCVIII.

1. Sam. Cap. XXIV. verſ. 15.

Poſt quem egreſſus eſt Rex Iſraelis? aut quem demum perſequitur? (nimirum) mortuum canem, & pulicem aliquem (a)?

(a) Pulicem unum. Ebr.

Quem perſequeris Rex Iſrael? quem perſequeris? canem mortuum perſequeris, & pulicem unum.

Cane nîl fere vilius, contemptibilius nihil. Hinc per ἐξαθενισμὸν, humilitatem & ſui ipſius contemptum canem ſe vocat *Dauid* in noſtro Textu. *Mephiboſeth* 2. Sam. IX. 8. qui ita ad Dauidem. *Quis eſt ſeruus tuus? quod reſpicis ad canem mortuum, qualis ego ſum. (Quis ego ſum ſeruus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei?) Haſael* ad Eliſeum 2. Reg. VIII. 13. *Quidnam? canisne eſt ſeruus tuus, ut deſignet verbum iſtud tam grande? (Quid enim ſum ſeruus tuus canis, ut faciam rem iſtam magnam?) Helena* Hectori *Homer. Iliad. ζ.* v. 356.

Δάερ, ἐπεί σε μάλιστα πόνος φρένας ἀμφιβέβηκεν
Εἵνεκ' ἐμεῖο κυνὸς.

O leuir, quoniam animum tuum labor maxime inuaſit
Propter me, quæ ſum canis.

Eſt hæc ſeipſum cum cane conferendi ratio obſoleta hodie, ſed quidem vel per Prouerbium modus, per contemptum & veluti alto ſupercilio cani comparandi alios. Ita Abiſai de maledico illo Semei 2. Sam. XVI. 9. *Cur maledicit canis iſte mortuus Domino meo Regi? Ulyſſes* ad procos *Homer. Odyſſ. χ'.* Ὦ κύνες, ὦ *canes!* Ipſa tandem Scriptura *canum* nomine deſignat infideles Matth. XV. 26. profanos verbi Diuini contemptores. Matth. VII. 6. piorum quosuis hoſtes. Pſ. XXII. 17. ſceleribus variis pollutos Apoc. XXII. 15. Paſtores mercenarios. Jeſ. LVI. 10. conf. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 56.

Animalculum ex viliſſimis, quod tributi loco Præfectis dare ſolebant olim Peruani, teſte *de la Vega Comm. Royal.* p. 524. eſt פַּרְעוֹשׁ *Paroſch, Pulex*, cui affine eſt Arabicum *borguths, bürghus. Meninzk. Lex.* 5936. item Arabum, Turcarum, & Perſarum *ebbar, ebar, abar, püre, pire, büre.* Id. p. 10. 799. 917. 4049. 4119. Syrorum item *purthaana* פּוּרְתָּעֲנָא. Cum hoc Inſecto abjectiſſimo ſeſe comparat Dauid in Textu, & XXVI. 20. *Egreſſus eſt Rex Iſraelis, ut pulicem unum quærat*, ut nempe *humilitatis exſuperantia præfractum Regis cor emolliret*, ὅπως τῇ ταπεινώτητος ὑπερβολῇ τὴν ἀτεράμονα καταμαλάξῃ καρδίαν, ut ait *Theodoretus.* Et perbellè. Pulex ſi quæratur, vix inuenitur, & inuentus vix capitur, captus leuis venatori eſt præda. Paſſim apud Authores profanos pulicem annumeratum videas rebus nihili, & tenuioris ſortis hominibus conferri. Apud *Tzetzem Hiſt. Chil.* 9. *Hiſt.* 272. Xerxis imbelles copiæ per contemptum vocantur ψύλλων νέφος, *pulicum nubes. Ariſtophanes* in *Nebulis* deriſurus *Socratem* de rebus nihili philoſophantem, fingit illum pulicis ſaltum dimetiri, noſſe pulicum veſtigia, τὰ ψύλλων ἴχνη, *Act. I. Scen.* 2. & *Act.* III. *Scen.* I. Plura vide in *Boch. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 19. ut nos Germani de homine, qui Criſtas modicæ ſuæ vel ſcientiæ vel prudentiæ erigit, audire tuſſientium pulicum voces, *er höre die Flöhe huſten.*

Utut abjectiſſimum eſt Animalculum Pulex, admirandum tamen eſt in ſua metamorphoſi & generatione paucis cognita, & primùm, quantum ſcio, detecta à Præclariſſimo *Vallisnerio Eſperienze ed Oſſervazioni* p 84. En miram geneſin in compendio! & Iconibus in margine depictis! Deponunt Matres Fig. I. & oua Fig. II. fœcundata nempe à Mare: Ex ouis naſcitur vermis Fig. III. lactei imo perlacei coloris, qui duarum ſeptimanarum ſpatio juſtam acquirit & magnitudinem & ætatem, viuaciſſimi motus. Hic Erucarum aliarum ad inſtar ex tenuiſſimis filis format ſacculum, ut in eo ſe recondat, & in ipſo hoc ſacculo Fig. IV. ſeſe ſpatio duarum hebdomadarum transformat in pulicem Fig. I. Qui diſtinctam magis Pulicis Anatomen microſcopicam deſiderat, adeat *Leeuwenhoekii Experim. & contemplat.* p. 353. ex quo Fig. V. exhibet pupulam, in qua cornua & pedes futuri pulicis cernere licet. Fig. VI. cornua capitis articulata, & Thecam cum aculeis in ea reconditis, vel extra eam exertis. Fig. VII. poſteriorem Pulicis pedem cum Tendine abrupto. Fig. VIII. coitum maris & fœminæ.

I. SAM. cap. XXIV. v. 15.
David pulex.

I. Buch Sam. Cap. XXIV. v. 15.
David ein Floch.

G.D. Heiman sculp.

1. SAM. Cap. XXV. v. 18.
Abigail Davidi ſupplex.

I. Buch Sam. Cap. XXV. v. 18.
Die Fuſs-fällige Abigail.

I. G. Pintz sculp.

TAB. CCCXCIX.

1. Sam. Cap. XXV. verſ. 18.

Feſtinans ergo Abigail accepit ducentos panes, duos utres vini, quinque oues paratas, & quinque ſata toſti Farris, centum denique ligaturas uuarum paſſarum, & ducentas maſſas Ficuum, & impoſuit (illa) Aſinis.

Feſtinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes, & duos utres vini, & quinque arietes coctos, & quinque ſata polentæ, & centum ligaturas uuæ paſſæ, & ducentas maſſas caricarum, & poſuit ſuper Aſinos.

ASinos ferendis oneribus, iisque grauibus eſſe deſtinatos vel in vulgus, & per Prouerbia notum. Heic onerat integram veluti Aſinorum caravanam Abigail donariis, Dauidis contra Nabalem conceptam iram moderatura: iis namque imponit *ducentos panes, duos utres vini, quinque oues paratas, quinque ſata toſti Farris, centum ligaturas uuarum paſſarum & ducentas maſſas Ficuum.* Ita miſerat Iſai Sauli חֲמוֹר לֶחֶם *chamor lechem, aſinum panem*, vel *aſinum panis.* 1. Sam. XVI. 20. Habent & LXX. γόμος ἄρτων, mutantes *Aſinum* in *chomer*, aridorum menſuram. Sed jungit *Kimchius*, quæ nos disjungimus, Aſinum Pani. Eſt hæc Phraſis in *Soſibio* Poëta obuia.

Ἔφθει μὲν ἄρτων τρεῖς ὄνους καυθηλίας
Τρὶς τῆς βραχείας ἡμέρας.

Comedit panum tres Aſinos prægrandes
Ter in breui die:

Id eſt, τριῶν ὄνων φορτίον, trium Aſinorum pondus, annotante *Caſaubono* in *Lectionibus Theocriti* c. 12.

קְלִי סָאִים *ſeim kali* reddimus nos *ſata toſti Farris, Scheffel gedörret Korn. Bochartus Hieroz.* P. II. L. I. c. 7. ſumit heic קְלִי *kali* pro *frixto cicere*, quod hodieque Arabes *kali* vocari ſcribit, & memoret quoque *Plautus* in *Bacchidibus Act.* IV. *Scen.* 5.

Tam frictum ego illum reddam, quàm frictum eſt cicer.

Horatius in *Arte.*

Nec, ſi quid fricti ciceris probat, aut nucis emptor.

Caſſianus collat. 8. c. 1. *Superintulit caniſtrum habens cicer frictum, quod ibi* trogalia *vocant.* τρωγάλια, i. e. *bellaria.* Ita apud *Ariſtophanem* in *Pace* ruſticus occurrit.

Ἀνθρακίζων τ' ἐρεβίνθε.

Cicer ſuper Carbones torrens.

Sanè *Kali Cicer* eſſe, vel Ciceris ſpeciem, abundè probat *Bochartus* tum ex Judæorum, tum ex Arabum ſcriptis. *Hordeum toſtum* vult *Hiller. Hierophyt.* P. II. p. 172. & locis citatis, & Ruth II. 14. Græci Interpretes habent ἄλφιτον. Quæ vox forſan conciliationi dat locum. Sunt ἄλφιτα apud Hippocratem Hordei toſti ſeu fricti farina, & Lib. II. περὶ διαίτης, κρίθη πεφρυγμένη Veteri Critico. Torretur farina & ex Leguminibus, & Frumentis: ſic paramus nos ex farina auenacea & triticea toſta juſcula, nobis *Habermüſer;* Turcæ & Arabes ex Fabis Caffé potum hujus nominis, cui nonnulli ſubſtituunt potum ex Farina Hordei toſta. Poterimus ita pro Kali ſumere in genere Farinam toſtam: cujus fuere ſata quinque, quæ in menſuras noſtras Tigurinas redacta dant 1. quartale $14\frac{11}{15}$. modiolos, aſſumto nempe סָאָה ſato, quod fuit $\frac{1}{3}$. Epha, pro 674. pollicibus cubicis Pariſinis, qui æquales ſunt $6\frac{33}{100}$. modiolis noſtratibus. *Ed. Bernardus* uni ſato æquiparat 21. Libras Romanas, quarum ſingulæ in pondere Pariſienſi dant uncias 10. drachmas 6. grana 48. ut proin 5. ſata dent 105. Libras Romanas: Cæterùm per מָאתַיִם דְּבֵלִים & סָאָה צִמֻקִּים *centum botros* & *ducentas carycas* intelligi debent, ut nos Tigurini exprimimus, *centum ligaturæ* ſiue faſciculi *Uuarum paſſarum*, & *ducentæ maſſæ Ficuum.* Quæ omnia ſufficere debebant 400. viris militibus executoribus à Dauide miſſis.

TAB. CCCC.

1. Sam. Cap. XXV. verſ. 37. 38.

Factum eſt igitur mane, quum Nabal vinum concoxiſſet, retulit ei uxor ejus negotium illud, emortuumque eſt cor ejus in ipſo, ut fieret tanquam lapis.

Poſt decem deinde dies percuſſit DOMINUS ipſum Nabal, ut moreretur.

Diluculo autem cum digeſſiſſet vinum Nabal, indicauit ei uxor ſua verba hæc: Et emortuum eſt cor ejus intrinſecus, & factus eſt, quaſi lapis.

Cumque pertranſiſſent decem dies, percuſſit DOMINUS Nabal, & mortuus eſt.

NOtum, Homini ferociores hoſtes non eſſe, quàm Voluptates & Animi Paſſiones. Nabalem en! triſte utrarumque ſacrificium, breui enectum. Heri *habebat is conuiuium in domo ſua veluti conuiuium regium, & cor ipſius erat hilare in ipſo, eratque ſatis ebrius.* v. 36. Primos igitur inſultus faciebat vinum, quo ſolo ſæpe obdormit ὀνείρους, ut non euigilet amplius. Qua ratione id contingat, expoſui alibi. *Manè* verò, *quum Nabal vinum concoxiſſet*, ita nempe, ut corpore debilitato Mens redierit ad ſe, noua facta fuit & fortior oppugnatio, imò expugnatio. Narrabat auaro prudentiſſima conjunx, quæ contigerint heri, juraſſe Heroem Dauidem per Deum ſuum, qui aduentarit cum quadringentis viris, *ſi ad matutinam usque mingentem ad parietem reliquum fecerit ex omnibus, quæ habet.* v. 22. Perceperat, nec absque dolore, qualenam factum fuerit Dauidi donarium, animo obuerſabatur extremi periculi, cui expoſitus fuerat cum omni ſua domo, idea, periculi, à quo nec dum ſit liber: ſtant comæ, & quò ſe vertat, præ angore & metu neſcit: rapiuntur inordinatis motibus Spiritus, præpeditur horum influxus in viſcera nobiliora, cor imprimis, *emortuumque eſt cor ejus in ipſo, ut fieret tanquam lapis.* Heic nemo ſibi finxerit, opinor, fuiſſe reuera petrificatum Nabalis cor: aliud nihil vult Orientalis hæc loquendi formula, quàm ejusmodi cordis à ſanguineo latice oppletionem, qua primaria hæc Automati rota non quidem ſubitò fuerit & ſimul ac ſemel oppreſſa, ſed ita labefactata, ut reſiſtentiis ſuperandis diu par non fuerit, non enim ſubitanea ſuffocatum legimus morte: *poſt decem dies percuſſit eum DOMINUS, ut moreretur.* Fuiſſet petrificatio Miraculum, ſed majus adhuc vita decem dierum poſt petrificationem. Id equidem negare non auſim, à collecto per ſubitaneum terrorem ſanguine circa præcordia coiuiſſe partes ſanguinis pituitoſas, glutinoſas, formaſſe in Thalamis cordis Polypos, vel ita condenſatum fluidum vitale, ut cordi languido non ſuffecerint vires expellendo Sanguini eum in modum, quem poſcit ſanitatis ſtatus. Æquipollens eſt Phraſis, quæ extat in *Apuleji Metam.* L. VI. p. 179. ubi de Pſyche. *Impoſſibilitate ipſa mutata in lapidem, quamuis præſente corpore, ſenſibus tamen aberat, & inextricabilis periculi mole prorſus obruta, lacrymarum etiam extremo ſolatio carebat.* *Joſepho* fuit Nabalis hic Morbus Apoplexia, & inſecuta corporis necroſis; παρεθῆναι, καὶ πᾶν ἐν αὐτῷ νεκρωθῆναι τὸ σῶμα.

I. SAM. Cap. XXV. v. 37 - 38.
Nabal Αιτοκάρδιος.

I. B. Sam. Cap. XXV. v. 37. 38.
Nabals steinern Hertze.

B. S. Sedlezky sculps.

I. SAM. Cap. XXVI. v. 20.
Kore, Gallinago, Perdix, Cuculus.

I. Buch Sam. Cap. XXVI. v. 20.
Schnepfe, Rebhun, Kukuk.

G. D. Heüman sculps.

TAB. CCCCI.

1. Sam. Cap. XXVI. verſ. 20.

— Egreſſus eſt Rex Iſraelis, ut pulicem unum quærat, perinde ac ſi quis Perdicem in montibus perſequatur.

— Egreſſus eſt Rex Iſrael, ut quærat pulicem unum, ſicut perſequitur perdix in montibus.

Pullicem ſupra vidimus comparatum Dauidi, fugitiuum Animalculum fugitiuo Heroi. Nunc in Scenam prodit קוֹרֵא *Kore*, Auis, memorata quoque Jer. XVII. 11. *Perdix* (Kore) *incubat, ſed non parit (oua, ſic) qui opes parat, ſed præter æquum & juſtum. In medio dierum ſuorum derelinquit eas, & tandem in extremo ſuo ſtultus & inops eſt conſilii. (Perdix fouit, quæ non peperit: fecit diuitias & non in judicio: in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas, & in nouiſſimo ſuo erit inſipiens.)* Chaldæis hæc Auis dicitur קוֹרָאָה *Koraah*, קוֹרֵיָה *Korejah*. Arabes & *Turcæ* non unam Auem, ſaltem prænomine, *Kar* inſigniunt. *Kara göz*, *Kara Kus* eſt *Aquila*. *Kara ſin-ek*, *Muſca*, *Apis*. *Kara tawyk*, *Merula*. *Kar Kuſi Lagopus*, *Fringilla*. *Kerraje* nomen Auis maris collum torquentis. *Meninzk. Lex.* 3903. *Karjiet*, *Karrjiet*, Pl. *Kæwari* Auis breuibus prædita pedibus, longo roſtro, viridi dorſo, Arabibus amata, quod boni augurii eſſe creditur, & digna, cui aſſimiletur homo liberalis. Id. 3581.

Ex binis locis ſupra citatis id colligere licet, eſſe *Kore* Auem montanam, nullius pretii, & ex iis, quæ aliarum ouis incubant. De ea lepida extat fabula in *Bereſchith Rabba ſect.* 64. *Leo deuorauerat prædam, & in gutture ejus os hæſerat, & dixit: Quisquis veniens illud educet, dabo ei præmium. Tum venit Kore Ægyptius longo roſtro, quo in guttur ejus indito illud os inde eduxit, & dixit: Da mihi præmium meum. Sed reſpondit Leo, Ito, & jactato, te in os Leonis cum pace eſſe ingreſſum, & cum pace eſſe egreſſum.* Conſimilem Fabulam habet *Phædrus* L. I. *Fab.* 8. Leoni ſubſtituens Lupum, Kore Gruem. Inde non quidem judicare licet, eſſe Kore Gruem, ſed id ſaltem, quod unanimes atteſtantur Judæi, eſſe Kore Auem longiroſtram, quod prædicatum ei quoque dant, ut ſupra vidimus, Arabes, addentes inſuper colorem viridem, & breues pedes. Quodſi inſiſtamus huic deſcriptioni, quærenda erit hæc Auis non in Europa, ſed exteris Regionibus. Roſtrum ſi intueamur, accedit ei *Ariſtotelis* σκολόπαξ, ἀσκολόπαξ, *Gazæ Gallinago*, *Plinii* & *Martialis Ruſticola*, *ruſtica perdix*, Germanorum *Schnepf.* Radix Hebræa קוֹרֶה *Kora* notat *Trabem*, *Tignum*, Græca σκόλοψ, *palum*, quibuscum Ruſticolæ Auis Roſtrum commodè comparatur. Sunt & huic Aui pedes breues, locus Montes. Eſt & σκολόπαξ, quod de Kore prædicant quoque Arabes, Columbâ minor. *Nemeſianus:*

—— præda eſt facilis, & amœna ſcolopax:
Corpore non Paphiis auibus majore videbis.

Sunt autem *Paphiæ Aues Columbæ*. Sed non eſt Ruſticolæ color viridis, verum ex rubro, nigro, griſeo mixtus; obſtat & pretium Aui Dauidicæ nullum, quum è contra Ruſticola numeretur inter dapes delicatas, & quondam ipſi Perdici fuerit prælata. Audi *Martialem* L. XIII. *Epigr.* 76.

Ruſtica ſim, an Perdix, quid refert, ſi ſapor idem eſt?
Carior eſt Perdix, ſic ſapit illa magis.

Jungi poteſt Anglorum elogium:

If the Partridge hath the Woodcocks thigh,
If would be the beſt Bird, that è re did, flie.

Tandem nullibi de ruſticola legimus, alienis incubare ouis. Sanè ſi Kore eſt ex Ruſticolis, erit ſpecies quædam Orientalis nobis incognita hactenus. Neque mirum, in diuerſas abiiſſe opiniones Interpretes.

Græcis placet in noſtro Textu νυκτικόραξ, *Waldrab*, in Jeremia πέρδιξ, *Perdix*, *Rebhun*, quam ſeligunt *Hieronymus*, Syri, Arabes, Tigurinæ, & aliæ Verſiones. Non eundem tamen dant omnes ſenſum verbis, συνήγαγεν, ἃ οὐκ ἔτεκεν. Sunt qui volunt, ſuffurari Perdicem aliarum Auium oua, incubare iis, & pro ſuis agnoſcere. Ita *Epiphanius in Phyſiologo c. 9. Euſtath. in Hexaemeron p. 29. Ambroſ. in Hexaemer. L. VI. c. 3. & Epiſt. ad Sabinum. Philaſtrius de Hæreſib. in Præfat. Caſſiodor. Varior.* L. II. *Ep.* 14. *Iſidor. Origin.* L. XII. c. 7. Sed capi nequit,

quit, quomodo poſſit Perdix furtum hoc effectui dare ſeu roſtro, ſeu pedibus. Rationi congruit magis recutitorum Doctorum ſententia, incubare Perdicem ouis in aliarum Auium nidis. Ita R. *Selomo in 1. Sam.* XXVI. *Porta Cœli* f. 29. d. *Kimchius in Jer.* Sed deeſt nobis Zoologorum ſuffragium, vel teſtimonium. Mirum magis, quod ſcribunt *Euſtathius*, *Ambroſius*, *Philaſtrius*, *Caſſiodorus*, *Iſidorus*, *Damir*, alienas has à Perdice fotas aues, ſi adultiores fiant, relictâ nouercâ veram ſequi matrem. Hæc ſi ita ſe habeant, major his auibus adſcribi debet ſapientia, quàm *Telemacho* illi, qui rotundè faſſus, neſcire ſe, an Ulyſſis ſit filius, quod credere utique debeat in Matris fidem. *Homer. Odyſſ. ά.* v. 216.

Μήτηρ μὲν τ' ἐμέ φησι τὸ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ οἶδ'. ἐ γὰρ πώτις ἐὸν γόνον αὖὸς ἄν ἔγνω.

Mater quidem me ejus eſſe aſſerit: at ego
Neſcio: Neque enim ullus ſuum genitorem ipſe cognouit.

In quem Locum *Menander* apud *Euſtathium.*

Αὐτὸν γὰρ εἰδεὶς οἶδε, πῶ πότ' ἐγένηο.
Ἀλλ' ὑπονοοῦμεν πάνλες, ἢ πιϛεύομεν.

Seipſum nemo nouit, à quo ſit editus,
Sed ſuſpicamur omnes, aut credimus.

Eſt hæc communis omnium hominum confeſſio. Et pone, pullos auium ex certo quodam nobisque ignoto inſtinctu cognoſcere vel ſubodorari matres ſuas; quî quæſo conſtabit nobis Naturæ ſcrutatoribus, fuiſſe hanc, quam pulli ſequuntur, Matrem, & non aliam? Hujusmodi nîl habent Veteres Naturæ Ruſpatores, *Ariſtoteles*, *Theophraſtus*, *Plinius*, quorum equidem authoritate nititur *Hieronymus*. Obſeruamus id haud rarò in Veterum Patrum ſcriptis, quòd hujusmodi Traditionibus in rerum Natura minùs fundatis inædificare ſoleant myſticas ſuas vel applicationes, vel explicationes. Quæ rara & mira ex Cathedris projecta auidis excipere ſolet vulgus adhuc dum auribus, abſque δοκιμασίᾳ, juxta illud *Syneſii in Caluitii encomio*: τὸ δὲ ῥᾷϛον καλαγελάσεται ὁ δῆμος. δεῖται γὰρ τερατείας. *Quod facile eſt, ridet plebs, eget enim narratione prodigioſa.* Volebant Græci Patres, *Chryſoſtomus*, *Olympiodorus*, *Hippolytus*, conſcendere Perdicem matrem alienos nidos, & pullis ita imponere voce ſua, ut hi illam pro vera matre agnoſcentes eam ſequantur. Ita facilis aperiretur ad Ethicam quandam Zoologicam porta, facile erigeretur Theatrum virtutum atque vitiorum, Doli, Fraudis, Inuidiæ, Amoris, Odii. Sunt nonnulli ex Judæorum Doctoribus apud *Kimchium* in ea ſententia, verba Jeremiæ, *incubat, ſed non parit oua*, intelligenda eſſe de Perdice mare, qui etiam aliquando incubet ouis, teſtibus *Ariſtotele Hiſt.* L. VI. c. 8. *Plutarcho Lib. Utra Anim. Phile* c. 11. Verùm non eſt id Perdici proprium, ſed aliis quoque Auibus commune, ut non Mater ſola incubet, ſed & pater. Juxta hanc autem ἐξήγησιν excideret Propheta ſcopo, qui Perdicem comparat cum auaro, alienis inhiante bonis. Idem quippe jus competit mari in pullos, quod matri. Et propriis ſi incubat ouis, non incubat alienis. Sed quoque negat *Aldrov. ornithol.* L. XIII. c. 17. Perdicem marem incubare ouis, ut ea excludat. Dixeris potius, fouere, vel præſeruare Perdicem oua, majori, quàm aliæ Aues ſolent, cura. Notum, non nidificare Perdices in rupibus, vel Arboribus, ſed in ipſa Terra, variis proin periculis exponi oua & pullos: illa ſi fortè à Rore vel Pluuia madeſcant, incubatu nouo & ſiccari debent & calore foueri. Tutiſſimum tandem omnium eſt, ſi inhærendo Sacri Codicis literis dicamus, excubare Kore Auem aliarum Auium oua: Quapropter R. *Selomo*, qui in mediis floruit Seculis, intellexit *Cuculum*, de quo communis fert opinio, incubare aliarum Auium ouis. De quo quidem nîl Naturæ ſcrutatores, qui id tradunt ſaltem, deponere hanc Auem oua ſua in aliarum Auium nidis, eaque excubanda his linquere. Unde Latinis Cuculus non tam Hanreum notat quàm Adulterum, qui alium conſcendit thorum. Ita *Artemona* apud *Plautum* in *Aſinaria* ad *Demænetum* conjugem ſuum in Adulterio correptum:

At etiam cubat cuculus — —
Cano capite te cuculum uxor ex luſtris domum rapit.

Ipſe Cl. *Bochartus* in tanta opinionum diuerſitate ſuffragium dat *Gallinaginis* ſiue *Ruſticolæ* cuidam exoticæ ſpeciei, *quæ incubat, ſed non parit oua.*

A. Gallinago ſiue Ruſticola.
B. Perdix.
C. Cuculus.

TAB.

I. SAM. Cap. XXVIII. v. 7.
Pythonissa Endorea.

I. Buch Sam. Cap. XXVIII. v. 7.
Die Wahrsagerin zu Endor.

G. D. Heüman sculps.

TAB. CCCCII.

1. Sam. Cap. XXVIII. verſ. 7.

Dixit ergo Saul ad ſeruos ſuos: Quærite mihi mulierem, quæ habeat Pythonem, ut vadam ad eum, ſciſciterque ex ea; Et dixerunt ſervi ejus ad eum: Ecce eſt mulier in Endor, quæ Spiritum habet Pythonis.

Dixitque Saul ſeruis ſuis: Quærite mihi mulierem habentem pythonem, & vadam ad eum, & ſciſcitabor per illam. Et dixerunt ſerui ejus ad eum: Eſt mulier Pythonem habens, in Endor.

ESt hæc, quam tractandam ſuſcipimus, Hiſtoria una ex ſingularibus, pertinens ad Philoſophiam Spirituum ſublimiorem, in qua, veluti Terra Auſtrali incognita, plurima, imo pleraque nos latent. Hiſtoria, ex qua id ſaltem, veluti præliminare, prolucet, credidiſſe Judæos Dogma de Animæ Immortalitate, ſiue Animæ ſtatum viuum poſt Mortem. Prolucet, inquam, id ex Quæſtione Endoreæ ad Saulem: *Quem euocabo tibi?* & Regis ipſius Reſponſo: *Euoca mihi Samuelem.* v. 11. Crediderint ſanè oportet & Saul & Saga, ſuperſtitem adhuc eſſe Samuelem poſt obitum.

Ars ſiue Scientia ex prohibitis, quam Incantatrix hæc profeſſa eſt, eſt νεκυομάντεια, qua mortui reuocari, interrogari, & de futuro rerum ſtatu diuinari poterant. Erat illa בַּעֲלַת אוֹב *baalath Ob*, *Domina Obi*, Genii alicujus, quo internuntio euocabantur & interrogabantur Mortuorum Animæ, quæ Ars expreſſis verbis in Abominationum paganarum Regiſtro ponitur Deut. XVIII. 10. 11. *Joſepho Ant. Jud.* L. VI. c. 15. mulier hæc vocatur ἐγγαστρίμυθος, καὶ τὰς τῶν τεθνηκότων ψυχὰς ἐκκαλέμενος: i. e. Ventriloqua, ex vocabuli ſenſu radicali. τὸ ἐγγαστριμύθων γένος, pergit idem, ἀνάγον τῶν νεκρῶν ψυχὰς περολέγει τοῖς δεομένοις τὰ ἀποβησόμενα. De Arte hac ἐγγαστριμυθο-νεκρομαντεία plura huc afferri poſſent ex Antiquitatibus tum Sacris, tum profanis, quæ & Hiſtoricis diſcutienda linquo & Pneumaticæ Philoſophiæ cultoribus. Et ſuperſedeo tantò lubentius hac digreſſione, quia ex filo præſentis Hiſtoriæ luculenter patet, fuiſſe Artes illas vanas geſticulationes, mera ludibria & fraudes.

Conſtabit id luculenter ſatis ex ſynoptica Scenæ, quam cum Saule & Samuele luſit Endorea, repræſentatione. Non ſtatim hæc aperit Theatrum, nec antè, quàm de vita ſua redita fuerit ſecura. *En tu*, infit illa ad curioſulum, *noſti quid fecerit Saul, quomodo exciderit è Terra Pythones & diuinos, cur ergo tu laqueum tendis vitæ meæ, ut me mortis periculo exponas?* v. 9. *(Ecce tu noſti quanta fecerit Saul, & quomodo eraſerit magos & ariolos de terra: quare ergo inſidiaris animæ meæ, ut occidar?)* Conjectare facile poterat ex præcipiti & inexpectato Hominis aduentu, ex vultu terroris ſimulacro, ex Quæſtione ipſa, quæ prodierat è tremulis labiis, ex aliis forſan circumſtantiis, verſari inquirentem in anguſtiis, pronum ad Deſperationem. Mutabat quidem Saul veſtes, ut adeſſet incognitò, ſed mutare non poterat ſtaturam omnibus Iſraelitis ſuperiorem, ex qua cognoſci poterat haud difficulter. Erat ſtatio Saulis haud procul ab Endor, caſtra in Gilboa, unde una nocte ire poterat & redire Imperator. Accedit, familiares illo tempore fuiſſe Reges cum ſuis ſubditis, & tantùm non omnibus cognitos, & de ipſo Saule ex Hiſtoria Sacra conſtat, frequentiſſimas eum inſtituiſſe hac illac excurſiones. Et ex ipſo petito Samuelis euocatorio, ſi vel diuinatrix non fuiſſet, conjectare poterat facile, eſſe hunc ipſum Saulem, quocum habuerit tot Samuel negotia. Hæc omnia quidem celat aſtuta, eò quidem usque, dum Prophetam ſe vidiſſe prætendit: tunc demum illa ad hoſpitem, *cur fefelliſti me? tu enim es Saul.* v. 12. *(Quare impoſuiſti mihi? tu enim es Saul,)* acſi Samuel ipſe reuelarit hocce Myſterium. Hujusmodi namque laqueis irretiri ſolent incauti ab Impoſtoribus, ut hodienum ab ἐφημάνταις, qui ex Urinæ conſpectu talia longâ ſæpe ſerie enarrant, quæ aliunde ſciunt. Tranſeo ridicula Talmudiſtarum ſomnia, quibus Hiſtoriam hanc inferciunt. Ad Quæſtionem Saulis, quid vidiſti? reſpondet Endorea, *Deos vidi aſcendentes de Terra.* v. 13. titulo אֱלֹהִים intelligens, ut Gloſſa noſtra habet, *Deos, Angelos, judices*, Judicum, qualis Samuel fuit, genios, vel Judicis authoritate grauis genium; unam enim intellexiſſe perſonam Saulem, non plures, conſtat ex ejus noua Quæſtione, *quæ eſt forma ejus?* & Endoreæ reſponſo: *vir ſenex aſcendit, isque amictus eſt pallio.* v. 14.

v. 14. Et conſtat ex hoc ipſo colloquio, non viſum fuiſſe Samuelem ab ipſo Saule. Haud ignorare poterat illa ſtaturam & habitum Samuelis, haud proin difficile erat fœminæ diuinatrici præſentare Regi terroris & anxietatum pleno ideam Prophetæ, qui per tot annorum decurſum habenas Iſraeliticæ Reipublicæ rexerat: haud quoque difficile, voce rauca & ſibilanti, qualis engaſtrimythorum fuit, vel per alium, qui perſonam Samuelis agere debebat, vaticinari Sauli mox futura. Dictabat quaſi ipſe Rex quæſtione ſua reſponſum. *Dixit autem Samuel ad Saulem: Cur inquietum me reddidiſti, ut me reduceres? Et dixit Saul: Valde ſum anxius, nam Paleſtini pugnant contra me, & DEUS receſſit à me, nec ultra reſpondet mihi, neque per manus Prophetarum, neque per ſomnia, & euocaui te, ut oſtendas mihi, quid ſim facturus.* v. 15. *(Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietaſti me, ut ſuſcitarer? & ait Saul: Coarctor nimis: ſiquidem Philiſthiim pugnant aduerſum me, & Deus receſſit à me, & exaudire me noluit, neque in manu Prophetarum, neque per ſomnia: vocaui ergo te, ut oſtenderes mihi quid faciam.)* Ubi Saul ſeſe nudum exponit impoſturæ ſagæ, ingenuâ nempe hac ſua & relatione, & confeſſione, *pugnant contra me, DEUS receſſit à me, nec ultra reſpondet mihi. Mihi*, Regi. Laruâ depoſitâ haud longè peti poterat reſponſum, & nullo pene artificio opus fuit, præcipitem dare Regem, & deſperatum magis reddere. Latet in ipſa Quæſtione Reſponſum. *Ait Samuel: Et quare me interrogas, quum DOMINUS à te receſſerit, factusque ſit hoſtis tuus?* v. 16. *(Ait Samuel: Quid interrogas me, cum DOMINUS receſſerit à te, & tranſierit ad æmulum tuum?) Et DOMINUS quidem fecit, quemadmodum loquutus eſt in manu mea, & ſcidit DOMINUS Regnum de manu tua, deditque illud proximo tuo Dauidi. Quandoquidem enim non obediuiſti voci DOMINI, nec perfeciſti iram furoris ejus in Amalek, idcirco fecit tibi DOMINUS hodie rem iſtam.* v. 17. 18. *(Faciet enim tibi DOMINUS, ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid? Quia non obediſti voci DOMINI, neque feciſti iram furoris ejus in Amalec: idcirco quod pateris, fecit tibi DOMINUS hodie.)* Hæc omnia non norat ſolus, qui in hanc ſcenam trahi ſolet, Diabolus, ſed omnis populus Iſraeliticus. Neminem quippe latere poterat, quæ acta fuere Samuelem inter, Saulem & Agagum. 1. Sam. XV. utpote acta in conſpectu totius populi. Neque ignota fuit interminatio à Samuele facta. v. 28. *Scidit DOMINUS hodie Regnum Iſraelis à te, & dedit illud proximo tuo, qui te melior eſt.* Et cognitus erat hic ipſe proximus, Dauid, toti Iſraeli. In teſtem prouoco Saulis ipſius alloquium ad Dauidem. 1. Sam. XXIV. 21. *Scio equidem, quod certiſſime regnaturus ſis, quodque firmum futurum ſit Regnum Iſraelis in manu tua. (Et nunc quia ſcio, quod certiſſime regnaturus ſis & habiturus in manu tua regnum Iſrael.)* Imo verò erant totius Iſraelis oculi intenti in Dauidem, ejusque reuocationem à Rege Achis, in ſpem melioris Regiminis. Et fatetur ipſe Saul, non ultra reſpondere ſibi DEUM, neque per manus Prophetarum, neque per ſomnia, neque per Urim & Thummim, ex quo diuino ſilentio conjicere poterat facile diuinatrix conſilium DEI ad Saulis deperditionem, & forte ipſa hæc Oraculi diuini ceſſatio in Terrorem conjecerat integrum Exercitum, unde rumor ex caſtris Gilboenſibus penetrare poterat facile in vicina quæuis loca, qualis fuit & Endor.

Non tamen adeò præciſè ſcopum feriit Endorea Diuinatrix, quæ ita v. 19. *Tradet DOMINUS Iſraelem tecum in manum Paleſtinorum, & cras tu & filii tui mecum erunt: ſed & caſtra Iſraelitica tradet DOMINUS in manum Paleſtinorum.* Niſi locum dederis æquivocationi, quæ hujusmodi fraudulentis diuinationibus ſolet eſſe familiaris. Falſum, *tradidiſſe* DOMINUM totum *Iſraelem in manum Paleſtinorum.* Legimus namque XXXI. 7. *Videntes Iſraelitæ, qui erant circa Vallem, quique erant citra Jordanem, quod fugiſſent Iſraelitæ, quodque mortui eſſent Saul & filii ejus, relictis urbibus fugerunt. Venientes igitur Paleſtini inhabitarunt eas.* Æquivocum porrò & falſum, quod vaticinata eſt ſaga de filiis Saulis; ſi vaticinium nullam pati debet exceptionem. Nam equidem periere in conflictu *Jonathan, Abinadab* & *Melchiſua*, relicti autem fuere, *Mephiboſeth* Saulis ex Jonathane Nepos & quinque Riſpæ filii, *Armoni* & *Iſboſeth*, qui ab Abnero collocatus in ſolio Regio imperabat Iſraeli, Dauide interim Rege ſolius Tribus Juda reſidente Hebrone. Errauit tandem in Samuelem transfigurata Prophetiſſa ratione temporis, *cras*, inquiebat, מָחָר *tu & filii tui mecum eritis*, quod & LXX. dant ἄυριον, quod falſum. Paraphraſin Hiſtoriæ hujus tantò ampliorem dare volui, quia communiter allegari ſolet in teſtimonium authenticum præſtigiarum Diabolicarum, quum tamen ex hactenus dictis conſtare autumem, meram fuiſſe impoſturam.

De hac materia legantur

Joh. Heinr. Heidegger Diſs. de Pſeudo-Samuele à Pythoniſſa in Endor excantato.

Mich. Rothardi Samuel rediuiuus. In Tract. Biblicor. ſiue Criticorum Sacrorum T. VI. p. 310. Edit. Francof. *Leonis Allatii de Engaſtrimytho Syntagma* Ibid. p. 331. *Euſtathii Archiep. Antiocheni de Engaſtrimytho Diſſert. aduerſus Origenem, & Origenis de eadem Engaſtrimytho, an videlicet Anima ipſa Samuelis verè fuerit euocata incantationibus Pythoniſſæ?* Ibid. p. 406.

Benedictus Habn de Spectro Endoreo. Præſ. Jo. Erneſto Gerhardo. Jen. 1722.

II. SAM. Cap. II. v. 23.
Asahelis Vulnus lethale.

II. Buch Sam. Cap. II. v. 23.
Der todtlich-verwundete Asahel.

I. A. Fridrich sculps.

LIBER POSTERIOR SAMUELIS.

TAB. CCCCIII.

2. Sam. Cap. II. verſ. 23.

Quum vero nollet abire, feriit eum Abner poſteriore parte lanceæ ad viſcera vitalia, ut exiret lancea à tergo ejus. Cecidit ergo ibidem, locoque ſuo mortuus eſt.

Qui audire contempſit & noluit declinare: percuſſit ergo eum Abner auerſa haſta in inguine, & transfodit, & mortuus eſt in eodem loco.

ANatome Corporis Humani quia baſin conſtituit Medicinæ, Medicæ conſiderationis erit explicatio Vulneris, quod *Aſahel* recepit חֲמֵשׁ אֶל *el hachomeſch, ad quintam ſcil. coſtam:* ita vernacula noſtra, *unter das fünfte Ripp*, ſed Latina, *ad viſcera vitalia.* Quæ locutio tantò majori attentione eſt digna; quia in hoc II. Samuelis Libro occurrit quater, nempe heic in morte Aſahelis. III. 27. in Hiſtoria Vulnerati à Joabo *Abneri.* IV. 6. *Iboſethi* à Rechabo & Baanah. XX. 10. *Amaſæ* à Joabo. Notandum heic, Homini duodecim eſſe *coſtas*, quas diſtinguunt Anatomici in *veras* & *ſpurias:* illæ ſunt ſeptem ſuperiores, immediatè Sterno affixæ: hæ quinque inferiores. Redit proin huc quæſtio, an numerandi initium fieri debeat à ſuprema, verarum prima, vel ab octaua, ſpuriarum prima. Si prius, transfodiet Lancea pectus, ferietque vitæ ſedem, Cor, & pulmones. Si hoc, tranſibit Inſtrumentum vulnerans in hypochondriis, ad viſcera vitalia Abdominis. Sunt autem utraque Vulnera lethalia, quia partes ad vitam abſolutè neceſſarias lædunt, & omnibus remediis aditum præcludunt. Priori ſententiæ ſubſcribit *Wedelius Exercit. de vulnere* אֶל חֲמֵשׁ *ſeu in quinta coſta*, oſtenditque ex *Fernelio* L. I. *de part. corp. hum.* c. 8. & *Piccolhomini prælect. Anat.* p. 210. cordi ſedem eſſe ad quintam coſtam: non tamen rejiciens eorum opinionem, qui per Synecdochen generis intelligunt vulnera lethalia quæuis, ad interiora penetrantia. Starem ego potius, ſalua aliorum opinione, pro poſteriori, qui Lanceæ tranſitum, eumque facilem dant ſub Coſtis & Diaphragmate in Abdomen. R. *Abarbanel Comm.* ad h. l. intelligit etiam per חֵמֶשׁ coſtam ultimam ad hepar. Subſcribit & *Fuller Miſc. Sacr.* L. V. c. 1. Speciale argumentum exhibet Amaſæ vulnus 2. Sam. XX. 10. ubi dicitur: *Joab gladio eum feriiſſe in vitalia viſcera, & effudiſſe viſcera ejus in Terram*, quæ loquendi ratio in Thoracis Vulnera prorſus non quadrat. Sed grauiter errant, qui cum Vulgata vulnus collocant in *Inguina*, vel cum LXX. in ψόαν, *Lumbos*, niſi forte per ψόαν intelligere quis velit totam Abdominis cauitatem, per cujus intimam longitudinem aſcendunt Muſculi Pſoas dicti. Apud *Virgilium Æneid.* XII. 506. deſcriptio extat vulneris ei, de quo nunc, conſimilis

— Haud multa moratus
Excipit in latus, &, qua fata celerrima, crudum
Transadigit coſtas & crates pectoris enſem.

TAB. CCCCIV.

2. Sam. Cap. V. verſ. 23. 24.

Et quum Dauid conſuluiſſet DOMINUM, reſpondit: non aſcendes, ſed circumeas poſt eos, veniesque ad eos è regione Mororum. (a)

(a) Alii legunt, Pyrorum.

Quumque audieris ſonitum inceſſus in apicibus Mororum, tum gnauiter rem geras. —

Conſuluit autem Dauid DOMINUM: Si aſcendam contra Philiſthæos, & tradas eos in manus meas? qui reſpondit: Non aſcendas contra eos, ſed gyra poſt tergum eorum, & venies ad eos ex aduerſo pyrorum.

Et cum audieris ſonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: —

ESt *Morus*, ſi בָּכָא *bacha Morus* eſt, ex ea Arborum claſſe, quæ Florem habet amentaceum in eadem Arbore ſeparatum à fructu molli, uti ex characteribus ad marginem appictis videre eſt. *Sapientiſſima* hæc *Arborum*, ut *Plinio* cluet L. XVI. c. 25. & XVIII. c. 27. quia *nouiſſima urbanarum germinat, nec niſi exacto frigore*, ſignum dat Dauidi, tempusque indicat præciſum, quo claſſicum canere, & cum Philiſthæis congredi poſſit, ſed ſignum ſupranaturale prorſus, quod Philoſophicæ contemplationis noſtræ horizontem tranſcendit, ſignum ex parte DEI, Exercitus Iſraelitici ſupremi Ducis, merè arbitrarium. Quam heic depingi curo, eſt *Morus nigra* I. B. *Morus fructu nigro*. C. B. Arbor caudice ſatis craſſo, contorto ac nodoſo, ramis patulis, cortice rugoſo, craſſo, lento, materie robuſta, medullitus flaua, foliis ex rotunditate acuminatis, per ambitum ſerratis, tactu nonnihil aſperis, hirſutis, julis florum loco virentibus, lanuginoſis, fructu breuiſſimo, pediculo hærente, glomerato, per maturitatem nigro, ſanguineo dulci ſucco madido.

TAB. CCCCV.

2. Sam. Cap. VI. verſ. 5.

Dauid verò & uniuerſa Domus Iſraelitica ludebant coram DOMINO variis (Inſtrumentis) (a) ligneis abiegnis, citharis, nablis, tympanis, ſiſtris, & cymbalis.

(a) Alii, cedrinis, alii, ex Buxo.

Dauid autem & omnis Iſrael ludebant coram DOMINO in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis.

IN vertenda voce בְּרוֹשׁ *beroſch* variant Interpretes. Sunt qui *Buxum* volunt, alii *Fraxinum*, *Larium* alii. Et à ſe ipſis, ut ſæpe, ita heic diſſentiunt LXX. qui κυπάρισσον reddunt, Jeſ. XXXVII. 24. LV. 13. LX. 13. Πίτυν. Ezech. XXXI. 8. Zach. XI. 2. Πεύκην. 1. Reg. V. 8. 10. IX. 11. VI. 15. Ελάτην, *Abietem*, Jeſ. XLI. 19. ibidemque *Myrtum*. Ἄρκευθον, *Juniperum*, Hoſ. XII. 9. 2. Chron. II. 18. Ita quoque Vulgata, quæ quatuordecim locis reddit *Abietem*, in noſtro Textu, *fabrefacta*, 2. Chron. II. 8. *arcenthina*. Nah. II. 4. *agitatores*. Chaldæus ubique ſibi conſtans *Abietem*, & poſt eum plerique Interpretes. Eſt hæc Arbor ex coniferis ſimul ac reſiniferis, ſpeciatim, quam nunc ſeligimus, & ſiſtimus, *Abies fœmina*, ſiue ἐλάτη θηλεῖα. I. B. *Abies mas conis ſurſum ſpectantibus*. C. B. proceritatis eximiæ, caudice recto, inferius enodi, *Sapinus* dicto, ſuperiore nodoſa, quæ *Fuſterna* audit *Plinio* L. XVI. c. 33. *Vitruuio*

II. SAM. Cap. V. v. 23. 24.
Mori clasicum canentes.

II. Buch Sam. Cap. V. v. 23 24.
Schlacht Signal der Maulbeer-Bäumen.

G. D. Heüman sculps.

II. SAM. cap. VI. v. 5.
Abies Muſicis grata.

II. Buch Sam. Cap. VI. v. 5.
Muſic: Inſtrumenta von Tannen-Holtz.

I. G. Pintz sculps.

II. SAM. Cap. XII. v. 30.
Coronatio Davidis.

II. Buch Sam. Cap. XII. v. 30.
Davids Crönung.

Catharina Sperlingen sculps.

truuio L. II. c. 21. Cortice albicante & fragili: Ramis circa Truncum creſcentibus quatuor ad ſex, vel plures, ſenſim minoribus, foliis circumcirca ramulos ferè ſaturæ viriditatis ſupernè, candicantibus in auerſâ, conis ſquamoſis, ſub quibus latent ſemina ſubalbâ, ſuperius alata, plena acri & pingui humore; Ligno leui, tremoribus ſuſcipiendis apto, apto proin ad conficienda varii generis Inſtrumenta Muſica, ut heic.

TAB. CCCCVI.

2. Sam. Cap. XII. verſ. 30.

Et tulit coronam Regis eorum de capite ejus, cujus pondus erat Talentum Auri, erantque in ea Lapides pretioſi, impoſitaque fuit capiti Dauidis; quin & prædam valde ingentem è ciuitate aſportauit.

Et tulit diadema Regis eorum de capite ejus (pondo auri talentum, habens gemmas precioſiſſimas) & impoſitum eſt ſuper caput Dauid. Sed & prædam ciuitatis aſportauit multam valde.

OStendi ſupra ad Exod. XXXVIII. Talentum Siclis conſtare 3000. reſpondere proin in

Pondere Pariſino

Libr.	unc.	drachm.	gran.
87.	3.	6.	48,00.

Pondere Argentoratenſi

90.	$9\frac{1}{2}$.	3.	46,03.

Pondere Colonienſi.

Marc.	Loth.	drachm.	gran.
182.	10.	1.	17,64.

Pondere Medicinali.

Libr.	unc.	drachm.	ſcrup.	gran.
119.	2.	4.	2.	9,89.

Onus Regni graue nimis, quàm ut hoc Imperii Inſigne in Rabbath Ammonitarum, ſiue Philadelphia, capite ſuo quis portauerit, ut ſolent hodie, qui coronantur, Reges. Ut proin conjectare liceat, ſuſpenſam potius fuiſſe ex Machina, & demiſſam in Caput Regis; vel cum *Clerico*, vocem מִשְׁקַל־ *miſchkalah* intelligendam non tam pro pondere, ſed potius pro pretio coronæ, quale eſt in Auro 12220. Ducatorum. *Joſephus Hiſt.* L. VII. c. 7. habet στέφανον ἕλκοντα χρυσᾶ τάλαντον, *pendentem aureum Talentum.*

Gemmis ſiue Lapidibus pretioſis ornatam hanc Coronam Textus indicat, ut ſolent eſſe modernorum Regum Coronæ. Sed nec numerus exprimitur Gemmarum, neque qualitas, nec valor. Sunt ex Interpretibus, qui per Numeri enallagen אֶבֶן יְקָרָה *eben jekarah* explicant per Gemmas multas. Sed *Joſepho* placet ſolus *Sardonyx*. Undenam hoc illi conſtiterit, haud conſtat. Rimatur id *Bochart. Hieroz.* P. II. L. V. c. 7. ex Judæorum ſcriptis, qui fortè in Textu pro מַלְכָּם *malcam*, *regis eorum*, legerint מִלְכֹם *milcom*, *Molochi*. Inuenit autem, *Sardonychem* in Oriente nuncupatum fuiſſe *moloch*, *molochas*. *Epiphan. cap. de Sardio.* ἔστι δὲ καὶ ἄλλος Σαρδόνυξ, ὃς καλεῖται Μολοχᾶς. Apud *Kimchium* legas de hoc Lapide aliam Fabulam, fuiſſe *Magnetem*, ejusque pretium Talentum, qui Lapis continuò traxerit, imo in libero Aëre ſuſpenſam tenuerit Coronam. Simile quid legas in *Sanhedrin* cap. 11. de vitulo Jeroboami, ſuſpenſum fuiſſe à Magnete, & cœlum inter ac Terram libratum. Et de *Dinocrate* Architecto celebri Alexandrino, fornice magnetico texiſſe Arſinoes Templum, ut hujus ſtatua in libero ſuſpenſa videretur Aere. Quam Fabellam diu credidere Mahometani de Pſeudoprophetæ Sarcophago.

TAB. CCCCVII.

2. Sam. Cap. XIII. verſ. 29.

— Surgentes itaque omnes filii Regis, inſcenderunt quisque mulum ſuum, & fugerunt.

— Surgentesque omnes filii Regis aſcenderunt ſinguli mulas ſuas, & fugerunt.

MUllus, ex Aſino & Equa natus, non *Naturæ opus, ſed humanæ machinationis audaciæque, adulterinum quoddam inuentum & furtum*, μὴ Φύσεως ποίημα, ἀλλὰ ἐπινοίας ἀνθρωπίνης, ἢ τόλμης, μοιχίδιον ἐπιτέχνημα τέλο ἢ κλέμμα, definiente ita *Democrito* apud *Ælian.* L. XII. c. 16. פֶּרֶד *pered* Hebræis, Græcis ἡμίονος, ἠρῆα. In uſu fuit hoc Animalium genus inprimis circa Dauidis & Salomonis tempora, quod conſtat ex 1. Reg. I. 33. X. 25. 2. Sam. XVIII. 9. 1. Paral. XII. 40. 2. Paral. IX. 24. & præſenti Textu; ex quo conſtat, mulis vectos fuiſſe Regis filios, ut nunc inſident Equis. Et præter hos Mulos, qui inſeruiebant Equitationi, fuere alii ἀχθοφόροι, *Sagiarii* 1. Paral. XII. 40. alii ζευγῖται, *Curules*, de quibus alibi. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 19.

TAB. CCCCVIII.

2. Sam. Cap. XIV. verſ. 26.

Quum tonderet caput ſuum (quod fiebat ſingulis annis ad finem anni, quod ſcilicet tonderet, eo quod capillitium grauaret ipſum) quum (inquam) tonderet (comam) pendebat capillitium capitis ſui ducentis Siclis pondere Regio.

Et quando tondebat capillum (ſemel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæſaries) ponderabat capillos capitis ſui ducentis Siclis, pondere publico.

ESt hic, quem tractamus, Locus, unus ex Sacri Codicis difficilioribus. Aſcendit, juxta Sicli computum noſtrum Abſolonis annua tonſura ad uncias 95. ſiue Lothones 190. & 3. drachmas: Pondus ſanè ingens, ad quod maximi etiam moduli Capillitia artificialia haud aſſurgunt. Videamus interim, quo modo ſeſe ex obuiis difficultatibus extricare ſoleant Interpretes.

In confeſſo id eſt apud omnes, מִקֵּץ יָמִים לְיָמִים *mikkets jamim lajamim*, *à fine dierum in dies*, denotare Anni totius decurſum, rectè proin verti, *ſingulis annis ad finem anni*, *zu Ende eines jeden Jahrs*, vel, ut Vulgata habet, *ſemel in anno.* Omni nos ſcrupulo liberarent LXX. ſi horum Verſio agnoſcatur pro juſta, ἀπ' ἀρχῆς ἡμερῶν εἰς ἡμέρας ὡς ἂν ἐκείρηλο. & Complutenſis ἀπὸ τέλες. Ita namque intelligi poſſet tonſura omnis per totum vitæ Abſolonis curriculum. Auget rei difficultatem *Joſephus* tonſuræ 8. dierum adſcribens Siclos 200. τοσῆλο μέντοιγε ἦν τὸ βάθος τῆς κόμης αὐτῷ ὡς μόλις αὐλὸν ἡμέραις ἀποκειρέων ὀκλῳ ϛαθμὸν ἕλκεσαν σίκλας διακοσίας. Videtur is namque, adnotante Clerico, pro εἰς ἡμέρας ὡς ἂν ἐκείρετο, legiſſe, εἰς ἡμέρας ὀκλῳ ἐκείρετο. Multiplicat ſanè *Joſephi* Commentarius ſcrupulum quinquageſies & bis. Vult *Bochartus Epiſt. de Abſalomis cæſarie*, verba מִקֵּץ יָמִים לְיָמִים verti debere, *quod ſubinde fiebat.* Sed conſtat ex aliorum Locorum parallelismo, denotare Phraſin hanc Anni decurſum. Exod. XIII. 10. *Cuſtodies hunc ritum ſtato tempore, idque jugiter.* ubi Gloſſæ, Ebr. *à diebus in dies, id eſt, quotannis, ut quidam volunt.* Jud. XI. 40. *Facta eſt conſuetudo in Iſraele, ut annua vice* (Ebr. de diebus in diem) *venirent filiæ Iſrael, ut diſſererent cum filia Jephte Gileaditæ, quatuor ſcilicet diebus in anno. (Exinde mos increuit in Iſrael, & conſuetudo ſeruata eſt. Ut poſt anni circu-*

II. SAM. Cap. XIII. v. 29.
Filii Regis mulis fugientes.

II. Buch Sam. Cap. XIII. v. 29.
Davids fluchtige Printzen.

I. A. Friderich. sculps.

II. SAM. Cap. XIV. v. 26.
Abſalom κάλλιθριξ.

II. Buch Sam. Cap. XIV. v. 26.
Abſaloms ſchöne Haare.

I. G. Thelot sculps.

circulum conueniant in unum filiæ Iſrael, & plangant filiam Jephthe Galaaditæ, diebus quatuor.) Auxilium pro ſua ſententia, quæ cæſariem denſam & longam poſt aliquot demum annorum decurſum tonſam vult, quærit *Bochartus* in loco 2. Sam. XVIII. 9. ubi *caput* Abſalonis *retentum* dicitur *ſub Quercu magna, ut penderet*, nempe de cæſarie ſua, *inter cœlum & inter terram.* Sed præualet ſemper annua periodus, & argumentum dat ipſa eorum conſuetudo, qui denſâ ſunt Cæſarie, his enim naſcuntur incommoda, niſi quotannis tondeantur. Maxima difficultas reſidet in ſiclis 200. Certos quippe nos reddunt, qui capillamenta arte fabricant, rarò ſuperare omnem fœminæ cæſariem uncias 30. ſiue 60. Lothones. Heic autem intelligi debent duntaxat comæ Abſalonis reſectæ, nempe ſuperfluæ. Conſtat quippe ex tota Abſalonis Hiſtoria, ſpeciatim ex ultimis ejus fatis, longam ei ſemper fuiſſe cæſariem, ut nunquam ad cutim usque reſecuerit capillos: & vel poſita hac ad radices usque capillorum reſectione, vix poſſibile videtur, creuiſſe quotannis cæſariem ad pondus usque in Textu expreſſum. Ad *Bochartum* redeo, qui omne pondus, cujus heic mentio fit, adſcendere vult ad 4. Libras Romanas, & duas uncias, ſiue ad uncias 50. Et diſcrimen is porrò facit inter Siclum Sacrum & communem, huicque duntaxat dat $\frac{1}{4}$. unciæ, concludens tandem ita ex his incertis præſuppoſitis: *Hoc tanquam certiſſimum ſtatuo, cæſariem denſam & prolixam minimùm ſemilibram pendere ſolere: adeoque in Abſalonis cæſarie nihil animaduerſione dignum occurriſſet, ſi pondus hoc non exceſſit. Ut igitur aliquid notatu dignum, & Hiſtoriæ conſignandum, & mirabile quidpiam habeatur, ſtatuatur 1. Cæſaries duplo denſior, quàm quæuis vulgaris, denſa licet, commune denſiorum pondus excedet ſemilibrâ, atque ex ea prima Hypotheſi Libram integram pendebit. 2. ſtatuamus, prolixis quibusuis capillis duplo prolixiorem fuiſſe. Ex hac Hypotheſi prolixos quosuis capillos ſemilibræ pondere ſuperabit, ac proinde duabus fere Libris æquipollebit.* Ut autem inſignis hic Vir ſententiæ ſuæ majus addat pondus, congerit ex erudita Antiquitate varia de variis prolixam denſamque Cæſariem plantandi artificiis, de augmento ponderis capillorum procurato per unguenta, de conſperſione capillorum per ramenta Auri. Imo tandem ultimum refugium quærit in correctione ipſius Textus originalis. *Quamuis*, inquit, *quæcunque hactenus hanc in rem allata minus vera eſſent, meminiſſe oportet eos, qui nollent Scripturæ auctoritatem minuere, in Scriptis quibuslibet nihil eſſe facilius numerorum deprauatione, quia ſæpe plenè non ſcribuntur, ſed numeralibus literis aut ſiphris notantur.* De quo conqueſtus quoque eſt *Budæus de Aſſe* L. II. p. 49. 51. & L. III. p. 67. quamuis haud duxerit neceſſe, ad ultimum hoc Aſylum confugere. Sunt Eruditi alii, qui refugium quærunt in Babylonicis Siclis, præſertim quia in Textu mentio fit *ponderis Regii*, prætenduntque hi, Authorem ſecundi hujus Libri Samuelis ſcripſiſſe ſub finem captiuitatis Babylonicæ, ſub Perſarum Rege. Fuerunt autem *Babylonici Sicli* tertia duntaxat pars Hebraici, quod ex *Xenophonte*, *Heſychio*, *Polluce*, *Photio* demonſtrat *Ed. Bernardus de Menſ. & Pond. antiq.* L. II. c. 26. Cujusmodi Sicli mentionem fieri volunt Nehem. X. 32. *Conſtitueremus ſuper nos præcepta, ut imponeretur nobis ſingulis annis tertia pars Sicli pro miniſterio domus DEI noſtri. (Et ſtatuemus ſuper nos præcepta, ut demus tertiam partem ſicli per annum ad opus domus DEI noſtri.)* Hac ratione reducerentur Sicli 200. ad $66\frac{2}{3}$. ſiue uncias 31. ſcrupulos 19. ſiue Lothones 63. drachmas 2. ſcrupulum 1. Quæ reductio tandem alleuiaret difficultates, utut nec ſuis careat reductum & minutum hoc pondus, ſi quidem coma intelligi debet reſecta, & non cæſaries integra: docet quippe nos Experientia, capillos quotannis non creſcere ultra 4. pollices. Tot inter difficultatum tricas ſuffragia ſua dat *Clericus*, mutatione facta in Textu, prouocans ad parallelismum Locorum Esdr. II. & Nehem. VII. Omnium tandem facillima videtur ſolutio, ſi verbum שְׁקַל *ſchakal* ſumamus non duntaxat pro *pondere*, ſed quoque pro *pretio*, ut duplici hoc ſignificatu gaudet Latina vox *pendo*, & certum eſt, non numeratos fuiſſe ſemper ſiclos, ſed ad lancem penſos. Hunc ſi admittamus ſignificatum, manere poſſet Latina noſtra verſio, & ſuo quoque ſenſu Vernacula, *ſein Haupt-Haar woge zwey hundert Sickel*, idem enim erat, ſiue quis penderet 200. Siclos, ſiue numeraret, ſenſus autem foret, æſtimatam fuiſſe Cæſariem hanc 200. Siclis. Ut hodie pendi ſolent & pro certo pretio vendi capilli, & capillamenta. Palam eſt ex præcedentibus, extolli pulchritudinem Abſalomi, cujus quoque partem conſtituunt capilli. Horum autem pulchritudo non tam æſtimari ſolet & menſurari ex pondere, ſed ex colore potius & longitudine. Quodſi, *Joſepho* teſte, regnante Salomone Aulici gloriam quæſiuere in Cæſarie prolixa, & auri ramentis conſperſa, ut hodie quærunt in capillamentis artefactis prælongis, & puluere odorato ex Amylo conſperſis, & fortè Abſoloni cæſaries fuit vel alba colore, vel flaueſcens, ut Natura dederit ei, quod alii procurabant arte, fieri facile poterat, ut ejus capilli tonſi venditi fuerint 200. Siclis. Hæc conjectura ſi locum quendam vel meretur, vel inuenit, relegandum foret capillamentorum artificialium inuentum ad Dauidis vel Salomonis tempora. Et certè, ſi capillamenta arte quoque fiebant illo tempore, honori ſibi duxerunt haud dubiè ſummo Aulæ Miniſtri utriusque ſexus, Regii principis capillos ornare capita ſua. Liberat ſaltem hæc Ponderis in pretium conuerſio maximis difficultatibus, quæ Syſtema ordinarium premunt: oneri cer-

tè, non ornamento, fuiſſet Abſolonea 4. vel 5. Librarum, ſi talis fuiſſet, quod credi vix potèſt, cæſaries. v. *Mem. de Trevoux* A. 1704. p. 135.

TAB. CCCCIX.

2. Sam. Cap. XVII. verſ. 8.

Addiditque Huſai: Tu noſti, quod pater tuus, militesque ejus viri ſunt ſtrenui & fortes, adhæc amaro animo, ac urſus in campo (catulis ſuis) orbatus —

Et rurſum intulit Chuſai: Tu noſti, patrem tuum & viros, qui cum eo ſunt, eſſe fortiſſimos & amaro animo, veluti ſi urſa raptis catulis in ſaltu ſæuiat. —

QUi ad Animantia Bruta, horumque actiones & motus attendit, Theatrum videt variarum Paſſionum, Amorem, Gaudium, Iram, Vindictam, ſed quæ ab Affectibus Hominum multùm differunt, ſimiles licet hisce quoad apparentiam, ut ſunt, vel videntur, ſimiles quoque ſenſus. Sunt illæ, verbo, irrationales, hæ rationales. Illæ automaticæ, Torrenti ſimiles, qui aggere perrupto obuia inundat: hæ Rationi junctæ, jungendæ ſaltem, & ab ea dirigendæ, quamuis, eheu! brutalitatis plus ſecum ferant, quàm Rationis. Brutis ſunt Paſſiones datæ à Creatore in conſeruationis medium. Conſidera φιλοστοργίαν Matrum erga pullos, vel catulos, Iram atque vindictam erga perſecutores. Exemplum heic obuium *Urſi*, vel *Urſæ* potius (quam habent LXX. Vulgata, Verſiones aliæ) *catulis ſuis orbatæ*. Ita quoque Prov. XVII. 12. *Satius eſt virum occurrere urſæ orbæ, quàm ſtulto in ſtultitia ſua. (Expedit magis urſæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti ſibi in ſtultitia ſua.)* Hoſ. XIII. 8. *Occurram eis ut Urſus orbatus, & lacerabo pertinax cor eorum. (Occurram eis quaſi urſa raptis catulis, & dirumpam interiora jecoris eorum.)* Conſimilia legas de *Tigride* apud *Senecam* in *Medea*.

Ut Tigris orba gnatis
Curſu furente luſtrat
Gangeticum nemus &c.

Kimchium ſi audiamus *in Hoſ.* Cauſas habet Urſa in Natura fundatas majoris & feruentioris contra perſecutores vindictæ, quia catulos ſuos ex informi maſſa carnea ſenſim figurat. Quæ Veterum communis opinio nunc quidem inter exoletas reponitur Veritates. En igitur Urſam ita ſemetipſa ratiocinantem! Magno labore & multoties circumlambendo catulos meos efformo, ergo ardentiori amore eos habeo cur proſequar, majori feruore cur defendam. Sed eſt hæc φιλοστοργία matribus omnis Brutis communis; de Urſa autem id in ſpecie notandum, fortem eſſe & ſæuam valde beſtiam. Teſtibus *Ariſtotele Hiſt.* L. IX. c. 1. & *Plinio* L. XI. c. 49. ſunt Urſæ & Pantheræ fœminæ maribus longè fortiores. *Plutarcho* ἡ δὲ ἄρκτος ἀγριώτατον καὶ σκυθρωπότατον θηρίον. Sic & *Philoſtrato Apollonii* L. II. c. 7. Sæuiſſimæ autem ſunt tunc cumprimis, ſi catulos alant. Χαλεπαὶ δὲ καὶ αἱ θήλειαι, ἄρκτος ἀπὸ τῶν σκύμνων. Unde apud *Ouidium Metam.* L. XIII. c. 8.

Fœta truculentior Urſa.

Ex quibus omnibus nunc quidem conſtat, fundatam omnino eſſe, qua uſus eſt, Huſai Analogiam Dauidis cum Urſa catulis ſuis orbata.

II. SAM. Cap. XVII. v. 8.
Ursa catulis orbata.

II. Buch Sam. Cap. XVII. v. 8.
Eine beraubte Bärin.

G.D. Heüman sculps.

II. SAM. Cap. XVII. v. 10.
David et Socii θυμολεουτες.

II. Buch Sam. Cap. XVII. v. 10.
David mit Löwen-muthigen Helden.

G. D. Heüman sculps.

II. SAM. Cap. XVIII. v. 28. 29.
Davidis donaria ab Ammon et Galaad.

II. Buch Sam. Cap. XVIII. v. 28. 29.
David von Ammon und Gilead beschenket.

I. G. Pintz sculps.

TAB. CCCCX.

2. Sam. Cap. XVII. verſ. 10.

Hinc fiet, ut & hi, qui fortes alioqui ſunt, & qui pectora habent Leonina, molleſcant ac liquefiant; nam hoc Iſraelitis omnibus exploratiſſimum eſt, Patrem tuum virum eſſe fortem, militesque ejus viros bellicoſos.

Et fortiſſimus quisque, cujus cor eſt quaſi leonis, pauore ſoluetur; ſcit enim omnis populus Iſrael, fortem eſſe patrem tuum, & robuſtos omnes, qui cum eo ſunt.

DUplex eſt Animoſitas, vel triplex 1. merè materialis, mechanica, Brutis quoque competens, quæ aliud nihil eſt quàm robur ingens à valido Sanguinis, fluidique neruei motu dependens, ejusque in objecta obuia effectus. Hoc ſenſu fortes quoque ſunt Maniaci. 2. rationalis, in Cerebro, Menteque reſidens, in Cor influa. Hoc ſenſu fortis & animoſus dicendus Dauid, omnisque fidelis DEO confiſus. 3. irrationalis, Deſperationis ſoboles. In hunc cenſum veniunt Ahitophel & Judas ἀπαγχόμενοι. Primi generis eſt fortitudo Leonis, ſecundi Dauidis & ſociorum Militum. Et tamen utramque jungit non ſolus Huſai, ſed quoque vulgatum Prouerbium. Ita erant *Gaditæ* illi, *ſegregati ad Dauidem in præſidio Deſerti, Heroes fortes, & viri militares bello apti, inſtructi lancea & conto, quorum facies Leonum facies referebant. (Sed & de Gaddi transfugerunt ad Dauid, cum lateret in deſerto, viri robuſtiſſimi, & pugnatores optimi tenentes clypeum & haſtam: facies eorum quaſi facies leonis.)* 1. Paral. XII. 8. Apud *Homerum* occurſant ſibi *Hector* & *Ajax*

Λείοσιν ἐοικότες ὠμοφάγοισιν.

Leonibus crudiuoris ſimiles.

Et *Hercules* ipſe *Lycophroni* cluet τριέσπερος λέων, *Leo trinoctius*. Alias hujus generis loquendi formulas lubens prætereo.

Nemini non conſtat Herculi Leonis fuiſſe inſigne, à Leone Nemæo interempto. Leonini quoque animi & roboris fuit, cujus Numisma exhibemus ex *Begeri Theſ. Reg. Brand.* Vol. III. p. 6. *Bitucus*, *Bitouius*, Eutropio & Floro *Bituitus*, aliis Βιτέβιος, *Vituitus* Auernorum Rex, qui circa A. V. C. 630. vixit.

TAB. CCCCXI.

2. Sam. Cap. XVII. verſ. 28. 29.

Lectos, pelues, vaſa fictilia, Triticum & Ordeum, Farinam & Spicas toſtas, Fabas, Lentem atque Far toſtum.

Mel, Butyrum, Oues & caſeos vaccinos. —

Stratoria & tapetia, & vaſa fictilia, frumentum & hordeum, & farinam & polentam, & fabam & lentem & frixum cicer.

Et mel & butyrum, oues & pingues vitulos: —

AFferunt in fuga fluctuanti Dauidi Galaaditæ & Ammonitæ ſuppellectilem variam, *Lectos*, quibus corpus tegere poſſet, *pelues*, *vaſa fictilia*, quibus cibos coquere, & pro menſa uti, ſed &, ne quid pro victu deſit, alimenta ipſa, חִטִּים *Chittim*, *Triticum*, quo nomine veniebat olim generaliter omne Frumentum, ex ſpicis *tritum*, ac trituratione repurgatum. שְׂעֹרִים *Seorim*, *Hordeum*, cui voci שְׂעֹרָה *ſeorah* originem dedit hirſuties, nam שָׂעִיר *Sair*, piloſum, hirſutum, & שָׂעַר *ſaar*, horrere ſignificat.

ficat. Et affinia ſunt huic Hebrææ voci vocabula Arabum, quibus Hordeum denotant *Xahaer* apud *Serapionem*, *Sair*, *Xair* apud *Haly Abbatem*, *Shair* apud *Auicennam*, *Habaher*, *Sarahan*, *Scahair*, *Scehair*, *Xahar*, *Xaahar*, *Xahair* apud alios. Sequitur קֶמַח *Kemach*, *farina*, fortè ἄλφιτον, quæ Hordei eſt toſti ſeu frixi; ſi hæc non ſit קָלִי *Kali*; Vel קֶמַח farina pura, קָלִי frumenta toſta, ut torrere ſolemus hodie fructus Caffé, & ipſum his ſubſtituere Hordeum. Probabilitatem auget, quòd hæc vox קָלִי in eodem verſiculo repetatur bis, unde priori loco reddimus per *Spicas toſtas*, *Sengel-Korn*, poſteriori per *Far toſtum*, *gedörret Korn*. Haud ſanè eſt dubium, quin duûm generum frumenta toſta debeant intelligi. Sed de hac voce קָלִי plura ad 1. Sam. XXV. 18. Pergimus ad Legumina. פּוֹל *Pol* vel *Phol* eſt *Faba*, Arab. *Phoulon*. Hinc fortè Germanorum *Bon* facili Literæ l. in n. & p. in b. mutatione. Seligimus autem & ſiſtimus *Fabam* C. B. *Cyamon leguminoſam* I. B. quæ radice eſt partim recta, partim ſerpente, ſtrumoſa & fibroſa, & caules habet quadratos, duobus cubitis altiores; folia aduerſa, cæſia, ex oblongo rotunda, ad unam coſtam adnexa: Flores papilionaceos: ſemen in ſiliquis magnis, craſſis, carnoſis, hirſutis, ſurrectis oblongum, latum, planum compreſſum, coloris albi, vel rubentis. Quas eſſentiales Fabæ partes videre licet ad marginem. Fructus hi ut hilo notati ſunt nigro, ita & olim fuere atro carbone, ut in vitæ regulam abierit Pythagoricum illud ἀπὸ κυάμων ἀπέχεσθαι, propter cruditates, flatulentias, & vim Veneris incentiuam: niſi metaphorico ſenſu κυάμους accipere velis pro ipſo Veneris proluuio, vel Reipublicæ muneribus. Sed ſiniſtram famam Fabis abſtergit *Rajus Hiſt. Plant.* p. 909. De *Lentibus* עֲדָשִׁים *adaſchim* egimus ad Gen. XXV. 29. Ferculorum ruſticorum agmen claudunt poſt *Mel*, *Butyrum* & *Oues* שְׁפוֹת בָּקָר *ſchephoth bakar*, *Caſei vaccini*, *Kühe-Käſe*, pro quo Græci σαφοὺς βοῶν, propriè *Bouis coagulationes*, fortè à שָׁפַת, quod inter alia *colare*, *percolare*, ſignificat. Caſeus enim non coagulatur, niſi percolato Lacte, vel ejus ſero. *Tibullus* L. II. Eleg. 3. de fiſcella, in qua fit caſeus:

Tunc fiſcella leui detexta eſt vimine Junci,
Raraque per nexus eſt via facta ſero.

Arborem Bon, Coaua ſiue *den Coffée-Baum* vid. in Tab. CCCCXIV.

TAB. CCCCXII.

2. Sam. Cap. XX. verſ. 15.

Venientes igitur obſederunt eum in Abel Beth Maacha, & affuderunt aggerem ad urbem: Omnis autem Populus, qui cum Joab erant, volebant vaſtare & dejicere Murum.

Venerunt itaque, & oppugnabant eum in Abela, & in Bethmaacha, & circumdederunt munitionibus ciuitatem, & obſeſſa eſt urbs: omnis autem turba, quæ erat cum Joab, moliebatur deſtruere muros.

TEmpora mutari, & nos, Artesque noſtras & ſcientias cum illis, oſtendit *Architectura militaris*, eaque tum *defenſiua*, tum *offenſiua*. Utraque inde à Pyrii pulueris inuentione tota fere mutata ab illa. Munimento olim erant Teſtudines; dejiciebantur muri, & Portæ aperiebantur Arietibus: euibratæ ſagittæ, projecti ingentibus Machinis Lapides. Nunc peraguntur omnia Tormentis atque Sclopetis; erant olim adductus, qui nunc foſſarum ad inſtar ſunt excauati, eleuati ſupra Terram, ut Architecturam offenſiuam prorſus videamus inuerſam. Exemplo poterit eſſe obſidio *Abel Bethmaacha*, quam *Urbem* cinxerat Joab *aggere*, חֵיל, quam vocem melius exprimit *agger*, *Wall*, quàm *Clerici munitio*. De hoc autem Aggere diſtincta formari debet idea. Accumulabatur Terra, quæ altior fiebat & altior, ſed & urbi obſeſſæ propior, deuolutâ verſus eam Terrâ: ita tandem eleuati aggeres ad eandem cum muris ipſis altitudinem, imò muris ipſis adducti. Quemadmodum verò obſeſſi non inſiſtebant muris nudi, & undique expoſiti, ſed in murorum ambitu ſuas habebant inciſuras ſiue crenas, quas videre licet paſſim in antiquis Urbibus & Caſtellis, ita quoque Aggreſſoribus dictabat Ratio in Aggeribus ſummis erigere Loricas, easque, ut ita loquar, mobiles, unasue aliis altiores, urbique propiores. Fuit hæc bellandi ratio nota quoque & uſitata Romanis. Exemplo eſt obſidio *Auarici* apud *Cæſarem Comm. Bell. Gall.* L. VII. c. 24. *Diebus XXV. aggerem latum pedes CCCXXX. altum*

II. SAM. Cap. XX. v. 15.
Abel Beth Maacha obſeſsa.

II. Buch Sam. Cap. XX. v. 15.
Abel Beth Maacha belagert.

I. G. Pintz sculps.

II. SAM. Cap. XXII. v. 8-16.
Tempestas fulminea.

II. Buch Sam. Cap. XXII. v. 8-16.
Strauf und Donner-Wetter.

M. Tiroff sculp.

altum pedes LXXX. extruxerunt. Cum is murum hoſtium pene contingeret. Et hodie locum obtinere poteſt hæc obſidendi ratio, præprimis in ſolo paludoſo. Specimen ſiſtit obſeſſum à Potentiſſimo Ruſſorum Imperatore Petro A. 1695. Fortalitium limitaneum *Azoph*, quod ut ad deditionem urgeret expertiſſimus Czaarici Exercitus ſupremus Dux *Gordon* Natione Scotus paſſim altos congeri juſſit aggeres, ex quibus non ſolùm facilis fuit in Opera Fortalitii interiora proſpectus, ſed facilis feriendi obſeſſos occaſio: admouebantur hi aggeres, continuata Terræ deuolutione, vallis Fortalitii eò usque ſpatio 14. dierum, ut diſtantia non major fuerit quàm dimidii ſclopeti jactus, & altitudo muros ipſos urbis ſuperarit, tandemque continuato Tormentorum Igne locus obſeſſus fuerit ad deditionem coactus. vid. *Perry Staat von Moſcau.* p. 232.

2. Sam. Cap. XXI. verſ. 16.

Et Jisbi in Noab, qui natus fuit ex Rephaim, (pondus Lanceæ ejus habebat trecentos Siclos chalybis) ipſeque nouo gladio accinctus erat, is dixerat, ſe occiſurum Dauidem.

Deficiente autem Dauid, Jesbi-benob, qui fuit de genere Arapha (cujus ferrum haſtæ trecentas uncias appendebat, & accinctus erat enſe nouo) niſus eſt percutere Dauid.

HAbet Originalis Textus שְׁלֹשׁ מְאוֹת מִשְׁקָל *trecentorum ponderis*, ſcilicet *Siclorum*, uti & poſt LXX. habet Latina noſtra: illa τριακοσίων σίκλων. Obſcurior vernacula noſtra *drey hundert Gewicht Ertz.* Faciunt autem hi 300. Sicli uncias 143. cum drachma dimidia: ſiue 7. Libras communes, Librâ computata 36. Lothonibus, & Lothones 34. cum drachma dimidia.

TAB. CCCCXIII.

2. Sam. Cap. XXII. verſ. 8-16.

8. Commouebatur & contremiſcebat terra, fundamenta Cœlorum fremebant, & conquaſſabantur, quoniam ipſe iraſcebatur.
9. Aſcendebat fumus è naribus ipſius, & vorans ignis ex ore ejus, ita, ut de eo carbones incenderentur.
10. Flectebat cœlos, ac deſcendebat, ſub pedibus ejus caligo.
11. Vehebatur ſuper Cherub, & volabat, ferrique videbatur alis pernicibus.
12. Circumquaque juxta ſe tenebras poſuerat inſtar tabernaculorum, aquas atras, & denſiſſimas nubes.
13. De fulgore, qui coram eo erat, Prunæ ardentes incendebantur.
14. Tonabat Cœlis DOMINUS, Altiſſimusque edebat vocem ſuam.

8. Commota eſt & contremuit terra, fundamenta montium concuſſa ſunt & conquaſſata, quoniam iratus eſt eis.
9. Aſcendit fumus de naribus ejus, & ignis de ore ejus vorauit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.
10. Et inclinauit cœlos, & deſcendit: & caligo ſub pedibus ejus.
11. Et aſcendit ſuper Cherubim, & volauit: & lapſus eſt ſuper pennas venti.
12. Poſuit tenebras in circuitu ſuo latibulum: cribrans aquas de nubibus cœlorum.
13. Præ fulgore in conſpectu ejus ſuccenſi ſunt carbones ignis.
14. Tonabit de cœlo DOMINUS, & excelſus dabit vocem ſuam.

15. Sagittas ejaculabatur, disjiciebatque eos, fulgur mittebat, & conſternatos reddidit eos.

16. Tum apparebant profundiſſima aquarum receptacula, retegebantur orbis fundamenta ab increpatione DOMINI, à reſpiratione flatus naſi ſui.

15. Miſit ſagittas, & diſſipauit eos fulgur, & conſumpſit eos.

16. Et apparuerunt effuſiones maris, & reuelata ſunt fundamenta orbis ab increpatione DOMINI, ab inſpiratione ſpiritus furoris ejus.

DEcantauit Dauid Canticum hoc Majeſtatis Diuinæ encomiaſticum *eo tempore, quo eripuerat eum DOMINUS è manu omnium hoſtium ejus, & è manu Saulis*, v. 1. verbis conceptum metaphoricis, imo in ſubſtrata de Meteoris materia meteoricis, quæ non ſemper explicari poſſunt ad literam. V. 8. inſinuat Pſaltes, commouiſſe DEUM cœlum & terram, id quod de hominibus dicimus, ſi quidem ad certum quendam finem omnes mouent virium ſuarum lacertos, nec quidquam omittunt earum rerum, quæ ad conſequendum finem conducere poſſint, ſed, ubi de DEO ſermo eſt, intelligendum eſt θεοπρεπῶς, modo Majeſtati ſuæ infinitæ adæquato. Voluntati Diuinæ ſufficit unicus nutus ut ad creandum, ita ad deſtruendum Mundum. Haud opus heic erat, ut propter Dauidem Terra tota quanta contremiſceret, vel integrum Cœlorum Syſtema cardinibus ſuis moueretur. מוֹסְדוֹת הַשָּׁמַיִם *moſedoth haſchamajim, fundamenta cœlorum*, non ſunt heic baſis quæpiam immenſæ vel denſitatis vel ſoliditatis, cui compages Mundi ſit inædificata: neque etiam Orbes illi cryſtallini, quibus infixa ſydera tum fixa tum erratica voluêre veteres. Modernorum Linguâ intelligendum potius fluidiſſimum reciprocè grauitans cœlum, & inde pendens corporum omnium, maximorum, medioxumorum, minimorum Æquilibrium; contemperatio exquiſitiſſima virium centripetarum ac centrifugarum, juxta Leges Diuinæ Matheſeos facta. Hæ ſunt *Columna cœli*. Job. XXVI. 11. Quod ſi ex altiſſimis Cœlis deſcendamus in hunc Terræ noſtræ globulum, erunt rurſus fundamenta cœlorum preſſio undique æqualis & fortis Aeris atque Ætheris verſus Terræ Centrum. Pſ. XVIII. 8. ubi idem cum præſenti extat Triumphale Canticum, *fundamenta montium* (non cœlorum) leguntur *concuſſa & conquaſſata*, quæ verba ad literam explicari poſſunt de Terræ motu.

Protinus è Vultu DOMINI conterrita Tellus
Intremuit, montesque, cauâ compage ſolutâ,
Nutarunt, penitusque imis fremuere cauernis.

Canente *Buchanano*.

v. 9. Poetica extat irati DEI repræſentatio, quæ certè ad literam explicari nequit; deſumpta aut à nubibus tempeſtuoſis, quæ denſi ad inſtar fumi collectæ mox in Fulgura, Tonitrua & Fulmina erumpunt urentia: vel ab Æde fulmine accenſa, quæ primò fumum emittit denſum, mox flammis correpta collabitur in cineres: vel ab Animantibus calore æſtuantibus, & vapores copioſos exhalantibus, tandemque horrendos edentibus clamores. Ita deſcribunt Poetæ Boues Colchidis ſylueſtres. *Apollon. Argon.* L. III. 1287.

- - ὁι δ' ἔκποθεν ἀφράζοιο
Κευθμῶνος χθωνίης, ἵνα τε σφίσιν ἔσκε βόαυλα
Καρτερὰ, λιγνυόεντι πέριξ εἰλυμένα καπνῷ
Ἄμφω ὁμᾶ προγένοντο πυρὸς σέλας ἀμπνείοντες.

- - - - Illi verò ex horrenda
Latebra Terræ, ubi erant iis Bouilia
Magna, fuliginoſo circumſepta fumo,
Ambo ſimul prodierunt ignis ſplendorem efflantes.

Comparans dehinc Pulmones eorum cum follibus, quibus ignem ſufflant fabri.

Ὡς ἄρα τώγε θοὴν φλόγα φυσίοωντε
Ἐκ ϛομάτων ὁμάδεν, τὸν δ' ἀμφί τε δῆϊον αἶθος
Βάλλεν ἄτε ϛεροπὴ.

Sic profectò illi rapidam flammam exſpirantes
Ex ore reſonabant, illum autem (Jaſonem) ſæuus ardor
Circumdedit tanquam fulgur.

Concinit *Ouidius Metam.* VII. 107. & *Martialis Epigr.* L. VII. 64.

- - rabido nec perditus ore
Fumantem naſum viui tentaueris Urſi.

Sunt Fauces & Os Brutis, quod caminus ædibus: exhalant ſanguinis æſtuantis halitus fumi ad inſtar denſi. Fumus igitur quia index eſt vel Sanguinis æſtuoſi, vel ignis erupturi prodromus, ita, ſenſus eſt Prophetæ, Iræ Diuinæ prognoſtica ſunt grauia Judicia, Tonitrua ipſa & Fulmina, quæ ejaculatur ſupremus DOMINUS

MINUS in ſuos & Eccleſiæ hoſtes. Preſſius id legas v. 14. 15.

Speciem præbet *Cœlum*, non Planeticum, neque Fixarum, ſed Aeris Terram cingentis, Fornicis depreſſi, ſiue Conoidis Parabolici. Obſeruamus quippe, lineas viſuales diſtantiæ horizontales omnium eſſe longiſſimas, hinc autem minores fieri ſenſim aſcendendo, ut verticalis omnium ſit minima. Incurrit Phænomenon hocce quotidie in oculos noſtros, cœlo ſeu ſereno ſeu turbido, attamen ſunt ex tericolis pauci, qui ad magnificum huncce Fornicem attendunt, pauci, qui analyſeos fundamenta norunt, quia Optices ignari. Notandum heic, pro conceptu juſto formando, cyaneum illum, quem conſpicimus, colorem non eſſe cœli ſtellaris, ſed aerei, ſiue atmoſphæræ: altitudinem hujusdem circumcirca terram eſſe, quoad apparentiam ſaltim, æqualem, & vel hinc ſtatim ſequi, fore perpendicularem omnium aliarum minimam, quæ quidem extendi poſſunt per Horizontem. Eſt ſanè in Fig. I. A B. minor quàm A C. A C. minor quàm A D. & ita porrò. Sunt hæ Lineæ omnes A B. A C. A D. A E. A F. A G. Hypothenuſæ, accreſcentes ſemper pro ratione Baſium A H. A I. A K. A L. A M. Qui Trigonometriæ fundamenta guſtauit, eum latere nequit, extendi viſum in Horizonte aperto ad milliaria 41. formari proin poſſe Triangulum rectilineum Fig. II. cujus latus A B. Terræ ſemidiameter 860. Milliarium, A C. à centro Terræ ad extremum Aerem milliare altum 861. B C. Tangens Terræ à puncto, cui inſiſto, ad finem Horizontis mei protenſa. Hæc altitudo Aeris D C. ſi ſtatuatur 2. milliarium, prodibit horizontalis B C. 58. milliar. ſi illa 3. hæc erit 72. ſi prior 4. erit hæc 83. & ita porrò. v. Cl. *Funcc. de colorib. cœli.* p. 33. Clarum exinde, DEUM omni tempore, etiam ſereniſſimo cœlo, *flectere* ſiue deprimere *cœlum*, & magnifici ad inſtar Fornicis nobis ſiſtere. Quodſi verò deſcendant magis Nubes verſus Terram, nobisque fiant propiores, id quod contingit inſtante graui Tempeſtate, quando *ſub pedibus ejus caligo*, tunc euidentior adhuc Dauidici dicti veritas, *flectere cœlum ac deſcendere*, v. 10. collectis nempe undique vaporibus, & amplitudinem Horizontis intra anguſtiores limites coarctantibus.

Adſpirantibus, quod plerunque fit, *Ventis* Nubes cogentibus, *vehitur DOMINUS ſuper Cherub, & volat, ferrique videtur alis pernicibus*, v. 11. *Buchanan.*

Ille vehens curru volucri, cui flammeus ales
Lora tenens leuibus ventorum adremigat alis
Se circum furuo nebularum inuoluit amictu.

Siſtit nempe μετεωρίζων noſter Pſaltes DEUM, ac ſi inſidens nubibus, Ventorum vehiculo promoueretur in curru Triumphali, ductoribus Angelis. Pſ. XVIII. 11. *Vehebatur ſuper Cherub, ac volabat, latus ſuper alas venti.*

Concipiuntur vapores aquei tanquam ſubtiles expanſæ veſiculæ ſeu bullulæ, natantes in libero Aere, per quorum interſtitia ſi transmittantur Radii, ſereneſcit cœlum: hæ bullulæ ſi cogantur à Ventis, aliisue cauſis condenſentur, *circumquaque juxta ſe tenebras ponit DEUS inſtar Tabernaculorum, aquas atras, & denſiſſimas Nubes.* v. 12. vel Pſal. XVIII. 12. *Circunquaque juxta ſe tenebras ponit latibulo ſuo inſtar Tabernaculorum, Aquas atratas, denſiſſimas nubes. (Et poſuit Tenebras latibulum ſuum, in circuitu ejus tabernaculum ejus: tenebroſa aqua in nubibus aeris.)* Qua cum Dauidica Aeris tempeſtuoſi deſcriptione conferri poteſt *Ouidiana* illa *Met.* L. III. 299.

Æthera conſcendit, nutuque ſequentia traxit
Nubila, queis Nimbos immiſtaque fulgura ventis
Addidit, & Tonitrus, & ineuitabile fulmen.

v. 13. *De fulgore, qui coram eo erat, prunæ ardentes incendebantur.* Clarius Pſaltes XVIII. 13. *De fulgore, qui coram erat, Nubes ejus pertransierunt, Grando & carbones igniti.* Clarum, deſcribi meteoricis phraſibus grauiſſimam Tempeſtatem Grandine & Fulminibus ſtipatam, quâ non ſolum guttæ aqueæ in deſcenſu à rigido Borea correptæ mutantur in Glaciem, ſed & plurimi halitus ſulphurei atque nitroſi fermentando exæſtuant, & in celerrimos motus rapti coguntur in *Fulmina*, qui igniti glomeres *prunæ* cluent *ardentes*, ſiue *carbones igniti.* Audi μεταφέτην *Buchananum.*

Acribus ex oculis libratæ ſpicula flammæ
Diſcutiunt triſtes claro fulgore tenebras.
Inde ruit crepitans lapidoſæ grandinis imber,
Diſcurſantque vagæ ſinuoſa volumina flammæ.

v. 14. *Tonabat Cœlis DOMINUS, Altiſſimusque edebat vocem ſuam.* Notum nobis omnibus expertis, durante Tempeſtate, & ante eam, murmurare Tonitrua. Pſal. XVIII. 14. *Tonabat è Cœlis DOMINUS, & Altiſſimus edebat vocem ſuam, Grandinem atque Carbones ignitos.* Quod nos Naturæ ſcrutatores exprimimus per tremulum, fortis vibrationis, Aeris motum, & vulgus vocat *Tonitrua*, id Sacer Codex nuncupat *vocem DOMINI*, & Pſalmo quidem XXIX. ſepties iterato. Et ex citatis modò locis conſtat, Epitheto hocce inſigniri non duntaxat Tonitru, ſed & Fulmina, inprimis verò grauem illum, qui aures perſtringit, crepitum. *Vox DOMINI confringit Cedros.* v. 5. Eſt equidem ſonus omnis vox DOMINI, ſed præprimis

fulmineus hic, omnium, qui in his Terris audiuntur, grauiſſimus atque fortiſſimus. Junge, quem grandinea ſaxa mutua inter delapſum colliſione edunt, fragorem.

Sed ipſa *Fulmina* ſub ſpecialiori porrò Idea ſiſtuntur cum ſuis effectibus v. 15. *Sagittas ejaculabatur, disjiciebatque eos, fulgur mittebat, & conſternatos reddidit eos.* παραλλήλως Pſaltes XVIII. 15. *Sagittas ejaculabatur, disjiciebatque eos, fulgura multa, quibus conſternatos eos reddidit. (Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.)* Exprimuntur ibi ſagittæ fulmineæ per חִצִּים *Chitſim*, heic per חִצָּיו *Chitſau*. Haud infrequentes ſunt conſimiles locutiones apud profanos Scriptores, præprimis Orientales. *Herodot.* L. IV. c. 19. de Fulmine, quod *Scylæ*, Scythici Regis, feriit Palatium: ἐς ταύτην ὁ ΘΕΟΣ ἐνέσκηψε βέλος, καὶ ἡ μὲν κατεκάη πᾶσα. *In hoc euibrauit DEUS ſagittam, quâ concremata ſunt omnia. Heſiodo Theog.* v. 708. audiunt Tonitrua, Fulgura & Fulmina, Κῆλα Διὸς μεγάλοιο. *Ouid. Met.* L. I. 239.

Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum.

L. III. 305.

Eſt aliud leuius fulmen, cui dextra Cyclopum
Sæuitiæ flammæque minus, minus addidit iræ;
Tela ſecunda vocant ſuperi.

Clarum ex hactenus dictis, metaphoricam planè eſſe, ſimulque meteoricam, Dauidis, qua totam quampiam grauem Tempeſtatem cum ſuis annexis ſiſtit, deſcriptionem, minus proin firmo ſtare talo eos, qui ex noſtro Textu *Fulminares* ita dictos *Lapides* probare ſatagunt. Iis viuimus temporibus, & felicibus ſatis, quibus Traditiones Igni exponuntur docimaſtico, neque ante pro veritatibus agnoſcuntur, quam fuerint libratæ ad trutinam. Ut, haud poſthabito, qui Antiquitati venerandæ debetur, reſpectu, haud ducamus Religioni rejicere, quæ per omnium Seculorum barbarorum decurſum pro Canonicis veritatibus fuere credita, ſiquidem & Rationi repugnent, & Experientiæ, & Docimaſiam non ſuſtineant. Id fati experiuntur Cerauniæ, quas credidit tota Antiquitas, & adhuc credit vulgus. Imo vero ſunt ex Eruditis, qui in propriis ſuis Muſeis, vel Principum & Magnatum Cimeliarchiis, pro Fulminaribus Lapidibus venditant, quæ aliud nihil ſunt, quàm vel cuneiformes Silices, vel Cryſtalli, Pyritæ, Belemnitæ, Echini Diluuiani. Indicaſſe hunc errorem ſufficiat pro nunc. Silentio præteriri non debet, quod Dauid commemorat de Fulmine & Fulgure (בְּרָקִים *berakim* heic propriè *fulgura* notat, ſed &, *Clerico* ita reddente, *Fulmina*) *reddere conſternatos*, quem ſanè effectum exerunt etiam in conſummatæ impietatis hominibus. Et quis, ſodes, eſt, quem non vox DOMINI terreat? Atheum vidi, & in cute noui, qui tonante fulminea Tempeſtate miſellum corpus ſuum recondidit in dolii cauum. Habet Textus Originalis וַיָּהֻם *& contriuit eos; Clericus, conturbauit.* Pſ. XVIII. וַיָּהֹם LXX. ἐξέχησεν αὐτὰς, Vulgata, *conſumſit eos.*

v. 16. *Tum apparebant profundiſſima Aquarum receptacula, retegebantur Orbis fundamenta ab increpatione DOMINI, à reſpiratione flatus naſi ſui.* Pſ. XVIII. 16. - - - *ab increpatione tua, DOMINE, à reſpiratione flatus naſi tui. (Ab increpatione tua, DOMINE, ab inſpiratione Spiritus iræ tuæ.)* Non legitur quidpiam de Dauidis expeditionibus Claſſibusque naualibus, ſiue conflictibus in Mari cum hoſtibus habitis, ut proin Loca citata naturales exprimant effectus, quos Tempeſtates fulmineæ exerunt in Mari. Agitantur in ſpumas, easque phosphoreſcentes, & fluctus altivagos Aquæ à Turbinibus, ut naues ex montibus veluti deuolui videantur in valles, ad Maris abyſſos, id quod terrificum magis Nautis, ſi fulgura intermicantia *retegant profundiſſima Aquarum receptacula, & Orbis fundamenta. Virgil. Æn.* L. I. v. 110. ſq.

Hi ſummo in fluctu pendent, his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit, furit æſtus arenis.

Sunt *Aquarum profundiſſima receptacula orbisque fundamenta Heſiodo* γῆς ῥίζαι, *radices Terræ*, Tartaro ſuperextructæ, *Theog.* 727.

- - - - - - αὐταὶ ὕπερθεν
Γῆς ῥίζαι πεφύκασι, καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης.

De *reſpiratione flatus naſi* ſcribit Pſaltes ἀνθρωποπαθῶς, quæ intelligenda ſunt θεοπρεπῶς. Et eſt loquendi modus deſumtus ab Hominibus Brutisque furoris æſtu veluti fumantibus, & Aerem per nares citò reciprocantibus.

—— Ira cadat naſo rugoſaque ſanna.
Perſ. Sat. V. v. 91.

TAB.

II. SAM. Cap. XXIII. v. 4.
Bon arbor.

II. Buch Sam. Cap. XXIII. v. 4.
Coffe - Baum.

I. G. Pintz sculps.

II. SAM. Cap. XXIV. v. 9.
Davidica Populi numeratio.

II. Buch Sam. Cap. XXIV. v. 9.
David lässt das Volck zehlen.

M. Tyroff sculps.

TAB. CCCCXIV.

2. Sam. Cap. XXIII. verſ. 4.

Et ſicut Lux matutæ, quum Sol oritur, (a) matuta, inquam, quæ non habet nubes præ fulgore ſuo, propter pluuiam videlicet, quæ herbam è Terra (elicit.)

(a) Regnum meum ſeu domus mea eſt ut lux clariſſima, quæ ſubinde augeſcit, nec ullas habet tenebras.

Sicut lux auroræ oriente ſole, mane absque nubibus rutilat, & ſicut pluuiis germinat herba de terra.

DOcet nos Philoſophia Experimentalis moderna, fortiores eſſe Solis irradiatorias vires immediatè poſt Pluuiam lapſam. Tunc ſanè majores exerunt effectus Lentes Tſchirnhuſianæ, quàm cœlo calidiſſimo atque ſereniſſimo. Ratio Paradoxi hujus Phyſici eſt, quòd cœlo æſtuoſo ſereno Atmoſphæra repleta ſit varii generis halitibus atque vaporibus, qui actionem radiorum impediunt. Sed Aëre ab halitibus hisce purgato Lux Terram irradians erit fortior. Lucem fœnerari poteſt hæc de Luce conſideratio grato *fulgori Solis matutini*, delapſis jam formâ Roris vaporibus aqueis: ſcilicet, *ſi matuta non habeat nubes*, alia quippe eſt ratio *Auroræ matutinæ*, ſiue Aeris plurimis halitibus imprægnati, vel Solis per Nubes ipſas radiantis. Ita, inſinuante Dauide in Cantico hocce Cygneo v. 3. *Dominator ſuper homines juſtus ſit, dominator (habeat) timorem DEI. (Dominator hominum, juſtus dominator in timore DEI.)* Liber ſit in adminiſtratione Juſtitiæ Judex ab omnibus præjudiciorum ac paſſionum nebulis, quæ mentem obfuſcant; ſit liberrimus nec impeditus Legum diuinarum humanarumque in omnes ſuas actiones & conſilia influxus: Ut *propter fulgorem & pluuiam herba è Terra* lætè procreſcit, ita ſit ille in officio ſuo ſedulus, actiuus, imperterritus.

In gratiam βοτανοφίλων, & Tabulæ præſentis ornamentum appingi heîc curo *Bon vel Ban Arborem* I. B. *Buna, Bunnu & Bunchos* Ejusd. quæ *Euonymo ſimilis Ægyptiaca fructu baccis Lauri ſimili.* C B. qualis Lipſiæ in Horto Apeliano feliciter ſuccreuit A. 1723. ex cujus fructibus non Turcæ ſoli ſed & Europæi parant frequentiſſimum potum *Coaua* ſeu *Coffée*. Appendicis loco inſeruire poteſt ad Tabulam CCCCXI.

TAB. CCCCXV.

2. Sam. Cap. XXIV. verſ. 9.

Deditque Joab numerum & ſummam populi ipſi Regi. Fuit autem (ſumma) Iſraelis octingenta millia virorum fortium Bello aptorum: virorum autem Juda fuerunt quingenta millia virorum.

Dedit ergo Joab numerum deſcriptionis populi regi, & inuenta ſunt de Iſrael octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium: & de Juda, quingenta millia pugnatorum.

INueniet haud dubiè Philoſophus Mathematicus, materiam de proportione multiplicationis Hominum ſcrutaturus, documenta omnium certiſſima, ſimul & antiquiſſima in Codice Sacro, ubi & exquiſitiſſima extat Chronologia, & Genealogia accuratiſſima. Notum ex Exod. XII. 37. accreuiſſe annorum 215. ſpatio 70. perſonas, quæ cum Jacobo deſcenderant in Ægyptum, ad viros 600000. Anno poſt, & quod excurrit, erat virorum bello aptorum, qui ſuperiores erant 20. annis, numerus, Leuitis haud computatis

603550. Spatio 39. vel 40. Annorum elapſo non reperti fuere tot, quot Ægypto fuere egreſſi, quia hi omnes in Deſerto ultima debuere ſubire fata, ut proin ætate maximi haud tranſcenderint 59. annos. Oſtenſum ſupra, nec una duntaxat occaſione, duplicari ordinariè Hominum numerum ſpatio 360. annorum. Ex hoc præſuppoſito 360. annis poſt primam numerationem elapſis viuere debebant Iſraelitæ 1200000. & ſpatio 472. vel 473. annorum, quot quidem Chronologi numerant ab Exodo usque ad Dauidicam hanc numerationem 1576666. Hunc prope numerum inuenimus eo, qui ſequitur, modo. In Textu noſtro ſummam aſportat Joabus ſupremus Belli Dux 800000. *virorum fortium bello aptorum.* Sed quoque legimus 1. Chron. XXVII. 1. fuiſſe 12. *Ordines*, ſingulos 24000. hominibus, qui milites Prætoriani *ingrediebantur & egrediebantur per ſingulos menſes in omnibus anni menſibus*, in uniuerſum proin fuere 288000. His adde 500000. ex Tribu Juda, qui memorantur in noſtro Textu, & pro Tribu Benjamin circiter 100000. Obtinebis ſummam omnium 1688000. pro qua à priori inuenimus 1576666. Pone, hosce viros bello aptos 1688000. conficere incirca $\frac{1}{3}$. Iſraelitarum omnium, Leuitis hactenus non computatis, poteris absque inſigni errore calculi numerum Iſraelitarum ponere 8440000, non computatis ſeruis, quorum haud dubiè fuit copia ingens pro more Populorum Orientalium.

Verùm enimuerò obſtaculo id eſt, quomodo Regio 60. circiter Milliaria ſiue horas longa, & 30. lata tantum potuerit capere vel nutrire Hominum numerum? Nodum ita ſecant, quibus ἀυθεντία Sacri Codicis non valet pro Regula, multiplicandi artem adhibuiſſe Judæos, qui finitâ captiuitate Babylonica Scripturam Sacram exemplarunt (ſit venia verbo, mediis ſaltem ſeculis uſitato) ex pia fraude, vel vana laudis cupidine. Collimat huc *Sulp. Seuerus Hiſt. Sacr. L. I. Non dubito Librariorum potius negligentia* (addit Clericus, audaciâ) *præſertim tot jam Seculis intercedentibus veritatem fuiſſe corruptam, quàm ut Propheta errauerit.* Quod effugium periculo haud caret. Dixerim potius, Dauidis tempore Palæſtinam totam adeo abundaſſe urbibus, oppidis, vicis, pagis, ædibus ubique juxta Agros, Vineas, Oliueta, Pomaria ſitis, ut hodie redundant Prouinciæ Belgicæ, excultam ubique, utpote quæ à DEO ipſo Titulo inſignitur *Terræ bonæ & ſpatioſæ, Terræ fluentis lacte & melle*, Exod. III. 8.

Remouendus eſt porrò alius obex. 1. Paral. XXI. 5. eadem hæc noſtra Dauidica numeratio aliis exprimitur terminis. *Fuit (ſumma) omnium Iſraelitarum virorum bello aptorum 1100000. & de Juda 470000. virorum bello aptorum*, in uniuerſum proin 1570000. Quum è contra heic numeremus duntaxat 800000. & 500000. qui ſummam faciunt 1300000. Hæc Loca ἐναντιοφανέα ita conciliat *Bochart Hieroz.* P. I. L. II. c. 36. quod 1. Par. XXI. Legionarii, ſiue Prætorii duodecim ordinum milites ſupra memorati fuerint ſummæ totali incluſi, hîc ab eadem excluſi. Nam hi duodecies 24000. ſoli conficiunt 288000, ut proin deficiant duntaxat 12000. quò minus aſcendere liceat ad 1100000. Hunc autem defectum ſupplent aliqui officiariis 12000. *Clericum* ſi audias *Comm.* ad h. l. conſiſtit rei cardo & difficultas non tam in diuerſitate numerorum, quàm in exceſſiua horundem magnitudine, quam euehit ad 13000000. animas: nempe viros bello aptos 1600000. & ex hoc principio animas 8000000. quibus addit ſeruos 4000000. Tribus Leui & Benjamin 1000000. qui populus adeò numeroſus quomodo ſpatio Terræ Palæſtinâ haud majori enutriri potuerit, ipſe capere nequit, nec vult; tantò quidem minus, quia caruere commerciis, & ad Littora Maris habitauerint ex una parte Tyrii atque Sidonii, ex altera Philiſtæi, Iſraelitis haud rarò ſuperiores. Prolabitur tandem citatus modò Commentator in ea cogitata, de quibus ſupra, multiplicatos fuiſſe nimiùm numeros Copiſtarum ſeu negligentiâ ſeu propriæ laudis prurigine: ut quoque 1. Sam. XIII. 5. *pro triginta millibus curruum*, quos Palæſtini habuerint, ponit duntaxat 3000. quot & non plures habeant Syrorum & Arabum Codices. Quod effugium an vel quomodo conciliari queat cum Sacri Codicis ἀυθεντία, examinent, imò nodum ſoluant alii.

LIBER

I. REG. Cap. I. v. 2.
Abiſag Davidi à ſervitÿs.

I. Buch der Kön. Cap. I. v. 2.
Die Aufwarterin Abiſag.

I. G. Thelot ſculps.